

www.e-rara.ch

Azoth, sive aureliae occultae philosophorum, materiam primam, et decantatum illum lapidem philosophorum filiis hermetis solide, perspicue & dilucide explicantes, per aenigma philosophicum, ...

**Beatus, Georg
Basilius
Bringer.**

Francofurti, MDCXIII [1613]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 6435

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-24886>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Beatus Georg

A Z O T H,
Sine

AVRELIAE OCCVLTAE PHILOSOPHORVM, MATE- RIAM PRIMAM, ET DECANTATVM


illum LAPIDEM PHILOSOPHORVM filiis Hermetis solide,
perspicue & dilucide explicantes,

*Per Aenigma Philosophicum, Colloquium Parabolicum, Tabulam Smaragdinam
Hermetis, Symbola, Parabolas & Figuras Saturni, F. Basilii Vicentini.*

M. GEORGIO BEATO Fr. Interprete.

Senior

Adolphus



FRANCOVRTI,
Typis ac sumptibus IOANNIS BRINGERI.
M. DC. XIII.

LECTORI S.

Libuit, Candide Lector, in vestibulo huius opusculi Symbolum Saturni, præfigere, cum materia illa prima, per hoc dilucide & perspicue explicetur. Tu nostro studio frue & vale.

ENIGMA PHILOSOPHORVM SIVE
Symbolum Saturni, per Parabolas A ZOTH
dilucide ostendens.



Venit aliquando cum per tot annos vitæ meæ navigarem à polo Arctico ad polum Antarcticum, ut singulari Dei nutu eijcerer ad littus magni cuiusdam maris: Et licet maris illius mundi aditus & proprietates optime cognitæ & perspectas haberem, nihilominus inscius fui, an etiam in illis oris generaretur pisciculus ille, Echeneis, quem tot magnæ & parvæ conditionis homines hætenus tam sollicitè quæsierunt: Dum autem in littore Melosynas hinc inde natantes cum Nymphis conspicio, fessus etiam à precedentibus laboribus, & cogitationibus variis gravatus, ab aquarum murmure somno corripior: Et dum suaviter obdormisco, occurrit mihi in somnis visio mirabilis. Video è mari nostro venerandæ canitie senem NEPTVNUM cum tridente egredientem, qui me post amicam salutationem in Insulam deducit amœnissimam. Hæc Insula pulcherrima versus austrum sita erat, ac rebus omnibus, ad hominis necessitatem, & ad eiusdem delicias spectantibus, refertissima.

Virgilij

ÆNIGMA PHILOSOPHICVM.

Virgilij campus Elysius vix cum illa potuisset compara-
 ri. Totum Insula littus, undique virentibus myrtis, cupres-
 sis, ac Koremarino cinctum erat. Prata virentia variegatis
 floribus tecta, iucundissimo aspectu, suauissime redolebant.
 Colles vineis, oleis, & cedris, miro modo decorati erant.
 Nemora Arantiorum & Limoneorum arboribus referta:
 Via publica laurorum ac Granatorum arboribus singulari
 artificio intertextis, vtrinque consista, gratissimam peregri-
 nantibus praebebant umbram. Vt paucis dicam, quicquid
 in toto mundo est, ibidem videbatur: Inter ambulandum
monstrabantur mihi à dicto Neptuno sub aliqua rupe, laten-
tes duæ illius Insulae minere Auri & Chalybis. Non tõe illinc
 deducor ad pratum in quo peculiaris hortus variis & specta-
 tu dignissimis arboribus plantatus erat; Inter complures Ar-
 bores autem, ostendit mihi septem arbores nominibus insigni-
 tas: ac inter has, duas præcipuas aliis eminentiores obseruavi,
 quarum vna ferebat fructum instar Solis lucidissimi & ful-
 gentissimi, & folia eius erant instar Auri; Altera vero pro-
 ducebat albißimos Liliis candidiores fructus, & folia eius e-
 rant sicuti argentum ^{aurum} ~~aurum~~: Vocabantur autem hæ arbo-
 res à Neptuno vna Solaris arbor, & altera Lunaris. Et quã-
 uis in hac Insula omnia adnutum essent, unicum tamen ipsi
 deerat. Aqua non habebatur, nisi magna cum difficultate.
 Erant quidem multi, qui partim tentabant illuc Aquam
 fontis per canales deducere, partim etiam ex variis rebus eli-

estodit ad) motu illud) quod dicitur, de tot) (2) quod dicitur) cie-

ÆNIGMA PHILOSOPHICVM.

ciebant, sed frustraneus erat attentatus labor, quia illic locorum nullo poterat haberi medio: & si habebatur, inutilis tamen fuit & venenosa: nisi è radiis Solis vel Lune, quod pauci præstare potuerunt, & qui in hoc perficiendo fortunam habuit propitiam, nunquam ultra decem partes potuit attrahere. Erat enim eiusmodi Aqua mirabilis, & crede mihi, quod oculis meis viderim, & palparim Aque illius niueum candorem, & dum illam aquam contemplerer, valde miratus sum: Interim fatigatus illa consideratione, euanuit coram oculis meis Neptunus, & apparet mihi vir magnus, cuius fronti nomen Saturni erat insculptum: Hic accepto vase hauriebat Aque partes decem, & statim de fructu Arboris Solaris accepit & imposuit, & vidi fructum Arboris consumi & resolui instar glaciei in Aqua calida: quæ sivi ex illo: Domine, video rem mirabilem, Aquam esse fere ex nihilo, video fructus Arboris in illa, adeo suavi calore consumi, quid ista? At ille mihi gratiose respondit: Fili mi, verum est quod res hæc est mirabilis, sed ne mireris, ita enim oportet esse: Nam hæc aqua est aqua vitæ, habens potentiam fructus arboris huius ita meliorare, vt postea nõ plâtatione seu insitione, sed solo suo odore faciat sibi ceteras sex Arbores uniformes. Insuper hæc aqua est huic fructui instar scemine, in re nulla possunt arboris huius fructus putrescere nisi in hac aqua. Et licet fructus per se sit mirabilis, & res preciosa: attamen si in hac aqua putrescit, gignit ex hac putrefactione Salamandrã in igne perseuerantem, cuius sanguis omni thesauro preciosior est, habens facultatem sex arbores,

quas

ÆNIGMA PHILOSOPHICVM.

quas hic vides, fertiles reddere, illarumque fructus melle dulciores proferre. At ego petij, Domine, quomodo fit istud? Dixi tibi, inquit, arboris solaris fructus esse viuos, dulces, at ubi nunc vnus saltem ex illo saturatur, quando in hac aqua coquitur, possunt postea mille ex eo saturari. Quasi porro, Domine: coquitur igne forti & quandiu? At ille: aqua ista habet intrinsecum ignem, & si iuuatur calore continuo, comburitur tres partes corporis sui cum hoc corpore fructus, & non remanebit, nisi pars minutissima, quæ vix imaginari potest, sed in summa virtute, coquitur sagaci ingenio Magistri septem mensibus primo, postea decem: sed interea apparent res variæ, & semper in die quinquagesimo, plus vel minus. Adhuc interrogavi: Domine, nonne potest etiam in alijs aquis coqui hic fructus, vel additurne illi aliquid? Respondit: non est nisi hæc vna aqua, quæ utilis est in hac regione vel in Insula: Nulla etiam alia aqua potest penetrare poros huius pomi, nisi hæc: & scito arborem solarem etiam ex hac aqua ortam, quæ ex radiis Solis vel Lunæ vi magnetis extracta est. Propterea inter se magnam habent concordantiam: Sed si aliquid peregrini ipsi adderetur, non posset id præstare quod facit per se: Relinquenda igitur per se, nihilque ei addatur, nisi hoc pomum: Post decoctionem enim est fructus immortalis, vitam habens & sanguinem, quia sanguis omnes arbores steriles facit portare fructus eiusdem nature cum pomo. Rogavi ulterius: Domine, hauriturne Aqua hæc alio modo, vel habeturne vbique? & ille, in omni loco est, & nemo sine ea vi-

ÆNIGMA PHILOSOPHICVM.

uere potest, hauritur miris modis, sed ista est optima, que ex-
trahitur vi chalybis nostri, qui inuenitur in ventre Arietis.
 Dixi: ad quid utilis? Respondit, ante debitam coctionem est
 summum venenum, sed post coctionem conuenientem summa
 est medicina, & dat viginti nouem grana sanguinis, quodli-
 bet autem granum, obtingentos sexaginta quatuor suppedita-
 bit tibi fructus arboris solaris. Quæsiui: nonne ulterius me-
 liorari potest? teste scriptura philosophica ait, ad decem, postea
 ad centum, deinde ad mille, & decem millia, & c. potest exal-
 tari. In stabam, Domine mi, noueruntne multi istam aquam,
 & habetne nomen proprium? Ille clamabat palam dicens,
 pauci nouerunt, sed omnes uiderunt, & uident & amant:
 Habet nomina, sed multa & varia. At nomen proprium eius
 est Aqua maris nostri, Aqua uite, non ma defaciens manus.
 Petij adhuc: ut uerturne ea alij ad res alias? Utitur ea, ait, o-
 mnis creatura, sed inuisibiliter. Nasciturne in ea aliquid, in-
 terrogauit? At ille: ex ea fiunt res omnes in mundo, & in ea ui-
uunt, sed in ea proprie nihil est, sed est res que se miscet omni
rei. Quæsiui: estne sine hoc arboris fructu utilis? ad hoc dixit:
 in hoc opere nequaquam, siquidem nõ nisi in solo hoc arboris so-
 laris fructu melioratur. Incepi adhuc rogare: Domine, quæ so-
 nomina mihi illam tam manifesto nomine, ut nullum possim
 amplius habere dubium: At ille sublata uoce ita clamauit, ut
 me e somno excitaret, ideo non amplius poteram quarere, nec
 ille ulterius mihi respondere uoluit, nec ego tibi plura dicere
 possum: contentus esto hisce, & crede quod non est possibile, lu-
 cidius

ÆNIGMA PHILOSOPHICVM.

cidius loqui: Nam si hæc non percipis, nunquam aliorum Phi-
losophorum libros assequeris. Post Saturni insperatum ac sub-
taneum discessum, nouus me sopor inuasit, & denuo mihi for-
ma visibili apparet Neptunus: Presentem in hortis Hesper-
dum congratulatur felicitatem, monstrando mihi speculum,
in quo totam naturam detectam vidi: Post varios & ultro ci-
troque commutatos sermones, gratias ipsi pro exhibitis bene-
ficijs ago, quod suo videlicet ductu, non solum hunc amœnissi-
imum Hortum ingressus fuerim, verũ etiam in optatissimum
Saturni colloquium venerim. Sed quia propter improuisum
Saturni discessum difficultates aliqua querenda & inuesti-
ganda adhuc restarent, rogavi enixe, vt hac exoptata occa-
sione mihi scrupulum eximeret. His autem verbis illum com-
pello, Domine, legi libros Philosophorum affirmantium gene-
rationem omnem fieri per Marem & fœminam, & tamen so-
lum fructum arboris solaris vidi in somniis, Saturnum Mer-
curio nostro imponere, credo etiam tibi vt Domino Maris hu-
ius, quod ista bene scias, responde questioni meæ queso? At il-
le, verum est, fili, omnis generatio fit in mare & fœmina, sed
propter distinctionem trium Nature regnorum, alio modo
nascitur animal quadrupes, alio modo vermis. Licet enim
vermes habeant oculos, visum, auditum, & reliquos sensus,
tamen per putrefactionem producuntur, & eorum locus vel
terra, in qua putrescunt, fœmina est: Ita in corpore philosophi-
co mater est huius rei, repetita toties illa aqua tua, & quic-
quid ex ea nascitur, more vermium, per putrefactionem na-
scitur:

opere

ÆNIGMA PHILOSOPHICVM.

scitur: Ideo Philosophi phœnicem & Salamãdram vocarunt: Si enim è duorum corporum conceptione fieret, esset res morti obnoxia, at quia se tantũ reuiuificat, destructo corpore priori, emicat aliud incorruptibile: Siquidem mors rerum nihil aliud est, quam separatio vnius ab altero. Et in hac phœnice ita fit, quod se vita à corpore corruptibili per se separat. Insuper quæsiui: Domine mi, suntne diuersæ res rerum vel compositio in hoc opere? At ille, vnica res est, cui non miscetur aliquid aliud præterquam aqua philosophica, tibi in somno aliquoties manifestata, quæ in decuplo esse debet ad vnã corporis partem: Et firmiter ac indubitate credas, fili, quæ per somnia in hac Insula, pro more regionis, tibi à me & à Saturno fuerunt patefacta, nullo modo esse somnia, sed purissimam veritatem, quam experientia vnica rerum Magistra tibi Dei assistentia detegere poterit. Vterius quærentem sine responso post valedictionem discedens, me à somno excitatum, in desideratam Europæ regionem sistit. Et ita tibi etiam, amice Lector, satis hætenus à me dictum sufficiat. Vale.



PARS PRIMA.

Collocutores,

ADOLPHVS. SENIOR.



Alue venerande senex : cum iam pridem è longinquo iuxta arborem hanc solum tecum ipso nescio quæ animo volutantem videam, intermittere non possum, quin te adeam, deque causa illiusmodi meditationis inquiram.

SENIOR.

Imo, ô Iuuenis, iam demum ea mihi cognoscere licet, quæ in iuuenili ætate constituto absona & incredibilia videbantur, cum enim literis adhuc operam darem, turgida ambitione inflatus, omnium rerum scientiam mihi arrogabam, verum nunc demum ætate proeucto, diligentiori studio naturæ librum illum magnum, & perplexum inuestigare libet, cum tamen temporis omnem opportunitatem & diurnitatem, tanquam præterfluentem aquam, præterlabi, videam, & ingemiscam sedulo.

ADOLPHVS.

Hoc vero est, quod admiror in te, ô senex, cum diuersimodas inter nos affectiones conspicio, tibi enim auolare tempus præcox, mihi tardi segnesque videntur ire dies; eaque de causa iam dudum in apicum exoptatumque deflectere equum animus gessit campum, & sodalium quærere

A

con-

congerronumque sodalitia, quæ temporis tarde gradientis molestiam excutiant.

S E N I O R .

Video equidem, amice, te liberali facie in ipso ætatis flore constitutum, liber itaque de tuo nomine ac progenie liberius inquirere, non enim molestum tibi fore puto, si remota fraudis suspicione, nomen tuum & vitæ conditionem inquiram diligentius.

A D O L P H V S .

Adolphi nomen, & Hassiam patriam mihi esse scias, quæ & literis in puerili ætate imbuat, & prouectiorem ætate ad mercaturam literalem publicis scholis transmissit, verum custodæ pædagogoque remoto, bonorum paternorum legitimus effectus administrator longinquas inuisere terras & peregrina adire loca animus gessit, & quidem ante alia Romam illam terrarum dominam petere cum comitibus liber, tuum vero, vir vsu rerum & experientia clare, de ea profectioe consilium audire prius velim.

S E N I O R .

Consilium meum tibi non deerit, quod quidem eo facilius suppeditare queo, locorum horum gnarus, modo tu sanis monitionibus parere non recuses.

A D O L P H V S .

Mihi iussa capessere fas puto, tu qui ætate & rerum experientia præstas, consilio fausto vias tenebricosas ingredienti præmonstra, videbis docilem & attentum te nactum esse auditorem.

S E N I O R .

Dixisti fili, teneri te desiderio inuisendi Romam, at
hoc

hoc tibi persuasum habeas optime, Romam hanc Sodomam esse, & nuncupari vere. Vidi equidem & ego hoc orbis caput, sed prudentiore iam ætate septus, ad discrimina & pericula attentior. Meo igitur consilio, diu hæere hinc in locis animum non inducas, vere enim Roma via mundi perniciosa, paradus est terrenus, hortus deliciarum venerearum, & locus à quo probitas, pietas, pudorque omnis exulat, regia vicarij principis mundani. Videbis in hac omnes huius mundi illecebras, & superbiæ fontem, voluptatumque colluuiem, & fructus carnis, quæ nullus est pretij, & litera est absque spiritu, Spiritus enim hic loci non reperitur, sed altiori indagine quærendus, felix terque quaterque cui Deus spiritum hunc interiorem exsuscitat, quem ludæi etiam cæci repudiarunt, etiam si velum templi abruptum esset & agnus librum septem sigillorum aperuisset, & dixisset, consummata esse omnia. Ante omnia igitur pietatis opera amplectenda, nec mundi studia naturæ ue ijs anteponenda, prout in sequentibus latius ex me audies. Verum hoc maxime displicet, cum videam te valetudine optima temporis accusare diurnitatem, licet florenti ætate subnixus morbi nullius vim sentias, meliori igitur calculo hæc trutinanda tibi omnino existimes velim, breuiuscule enim hæc me attigisse potius, quam prolixius decurrisse hoc stadium vides; nec temporis opportunitas inanis absque labore studioque transmittenda, sed potius cognitioni Dei ac operum eius accurate seduloque insistendum & exerendæ sensuum nostrorum vires, eum enim in finem ad imaginem Dei sumus creati, non ad similitudinem bestiarum, quæ nostrum in usum sunt potius conditæ, oculi igitur nostri & aures in laudem Dei exacuendi, arrigendæq; sedulo sunt, otiumque profligandum, nec tempus vllum absque studijs honestis transmittendum.

Equidem mihi senex videor mihi iam dudum ea quæ v-
 sui mihi esse possent, percepisse, acquisiui enim Latinæ
 Linguae cognitionem, & Aristotelicæ Doctrinæ notitiam
 non pœnitendam, non igitur hisce in studijs ætatem tere-
 re, ex vsu esse video, præsertim cum sentiam omnia imper-
 fecta & vana esse, nec vllum video magistrum & doctorem
 artis, qui absque fraude & dolo actiones ita suas instituat,
 vt ad finem præoptatum dextre perueniat. Astrono-
 miæ studium, quod ante alia certum maxime & indubita-
 tum esse debebat, incertum prorsus, fallax, inconstans, idem
 de medicina iudicium. Qui vero errorum cacoëthes in sa-
 cris Theologorum scriptis versentur, nemo non videt,
 cum tamen Scripturæ sacræ summa sit certitudo, & con-
 stantia: ab omnibus tamen fere in diuersum rapitur sen-
 sum, nec vllus controuersiarum finis, hac vitæ insidiatur al-
 terius alter, alius vel ipsam animam occidit, altera ex parte
 fortunæ bonis alij insidiantur, nec vllus furtorum, rapina-
 rum, contentionum & pugnarum finis est, & hæc vel sum-
 mæ doctrinæ, vel prudentiæ, vel fortitudinis esse opera,
 quiuis gloriari solet: Ego vero in iuuenili ætate constitu-
 tus hisce me assensum præstare posse video, licet literarum
 cognitioni & studijs operam meam amplius non addicam,
 præsertim cum videam scopum verum à nullo fere contingi,
 quod & superioribus diebus à rustico quodam mihi ob-
 iiciebatur, Doctiores peiores scilicet & deteriores alijs esse:
 & metuunt nonnulli, nec quidem abs ratione, doctos vel
 proprio exitio pœnas huius reidaturos: nec rationem vllam
 video, ob quam à vera & cœlesti doctrina deflectamus, cum
 tamen ea nobis cœlitus tradita sit per Verbum in carne
 natum, vt & ante ex te audiebam, imo, vt verbo dicam, hu-
 mana sapientia & doctrinarum circulus inconstans, im-
 per-

perfectus est, huicque meæ opinioni te assensum præbiturum, confido.

S E N I O R.

Verum quidem hoc, latinæ linguæ cognitionem eatenus & mihi vindico, sed exoticarum linguarum notitia peculiarem locum non habet, nec eo modo necessaria videntur, prout Hebraicæ, Græcæque notitia, in quibus omnium artium cognitio nobis antiquitus tradita, sed videmus etiam illarum exoticarum cognitionem in aulis maxime principum, ob varia negotia, necessariam esse, & præclarum Dei donum, quod exemplo ædificantium turrem Babel patet, inter quos varia linguarum idiomata exoriebantur, cum quidem in finem vt in diuersas orbis partes dissipati, in diuersas etiam opinionum sectas traderentur, hæc omnia tamen à Deo Opt. Max. ita regebantur, vt ad honorem Dei insèruirent: & efficacia Spiritus sancti, pijs ex omnibus gentibus collectis, turris illa insana structura in sacrosanctum Dei templum, ministerio Apostolorum conuersa est, in quo Dei laudes audiantur, non enim Deo vlla confusio & dissipatio placet, cum econtra Dæmon controuersiarum & discordiarum author fiet, & Deus Trinus omnium maxime concordiam à nobis & pacem exigit, hæc pax est, omnibus supereminens, in qua mundus hic conditus, & regnorum administrationes elucescunt, qua in re Christus saluator & eius asseclæ nobis exemplum præbuerunt, quod imitari omni studio decet. Et hæc quidem de linguarum variarum cognitione, sed quoad animarum rem procurandam, necessarium haud est, ætatem omnem in linguarum cognitione assequenda atterere, sed requiritur, vt sacras ministrorum conciones audiamus & sacræ scripturæ lectioni incumbamus sedulo, prout idem ex tribus illis linguis primarijs, lingua vernacula omnibus pro-

ponitur, idem iudicium de naturali Philosophia, & studio
 acquirendorum fortunæ bonorum. Verum sapientes huius
 mundi & astuti seculi huius varias insunt vias, nec regi-
 mine à Deo præscripto contenti, extera quærunt, hinc
 temporis thesaurus ille pretiosus disperditus, & varia ani-
 marum pericula, quibus extremo hoc seculo subiaceamus,
 in quo Deus vltimam illam urbem Hierosolymorum, vni-
 uersum nempe orbem visitaturus, & iudicaturus est. Exori-
 entur etiam pari ratione tres illi inimici capitales, & pri-
 marij, spirituales, prout & Christi in carnem aduentum
 præcedebant, & vltimam eiusdem de solationē, sed vltimo
 eius aduentu consilia eorum inania reddentur, & elusoria
 ante Christi tribunal. Si igitur postremis hisce tempori-
 bus hi aduenerint, animaduertemus, mundi finem instare:
 & eodem tempore existebant Phariseorum, Sadduceorum
 & Essæorum diuersa secta. An non autem Pharisei ope-
 rarij meri erant, externis operibus occupati, literales, non
 cognoscentes spiritum, nec Messia aduentum. An non
 Sadducæi resurrectionem mortuorum pernegabant, Essæi
 autem Anabaptistico spiritu agitati, Sacrosanctam Trini-
 tatem oppugnabant: in Omnipotentiam diuinam blasphe-
 mia prima, secunda in misericordiam & tertia in iustum &
 verum Dei Spiritum iniuriosa. Hinc vides, homines nor-
 mæ diuinæ semper aduersantes, & quamuis plures numero
 essent & diuersa secta, prænominata tamen primaria erant
 & præcipua, quarum vnaquæque doctrinam de sacrosancta
 Trinitate oppugnabat, subinde ex alia, alia ex oriente, mu-
 tatis tantum nominibus, accrescente indies horum mali-
 tia, & procedente, pauci enim erant inter Iudæos, qui vere
 religioni addicti, clanculariam quasi vitam agentes, sum-
 mo studio insidias mundi huius effugiebant. Spiritus igi-
 tur omnis probandus, imo vnusquisque nostrum semeti-
 ipsum probet ex verbo diuino, tanquam ad lapidem lydium:
 quod

quod si fiat, spiritus ipse conscientiam vniuscuiusque perscrutando, examini sistet. Hæc de linguarum cognitione dicta sunt. Persuasum vero habeas, hominis naturalem illam, quotidianam & æternam conseruationem & cognitionem non in animali notitia solum exquirendam, humanum enim errare, sed in ipso DEI verbo ex vtraque parte quærendam, quam naturæ inuestigatio sequatur, ex Deo enim ortum trahentes, ad eundem reuertuntur, & in eodem terminum finemque statuunt, verbum enim sola norma & sceptrum est; & natura norma omnium creaturarum, & ad animæ corporisque habitationem viam sternens, ex quibus omnibus Theosophus vere cognoscitur, horum autem omnium cognitio vera Aristotelem latuit; nam in tenebris cæcutientem eum videre licet, humanæ quamuis rationis acuminæ alijs longe præstantem. Idem & de sectatoribus eiusdem dicendum, autoritate nominis apud plebrosque licet magna polleant. Temporis itaque ante omnia exacta consideranda ratio, & veritatis iustitiæque studium conatu omni sectandum, implorandumque sacri spiritus auxilium, qui spiritualium nobis rerum cognitionem largiatur, & viribus omnibus cauendum, ne labyrintho huius mundi, vitijs inhæreamus, sed bonum & æquum sectantes, & diem, horamve nullam absque fructu laboreque præterlabi permittentes actiones nostras omnes ad diuini nominis gloriâ & proximi emolumentum dirigamus.

A D O L P H V S.

Copiose adeo de his omnibus disseruisti, mi senex, vt minimam eorum partem affecutus, de omnibus respondere haud possim, video quidem bonum omni studio sectandum, sed non cunctis simul respondendum, & lente quidem festinandum statuo.

SENIOR.

Discenda ea, o amice, quæ adhuc ignorare te fatearis, sentio enim & antiquorum beneficio viam hanc expeditam & facilem mihi redditam, fateor, idque etiam tibi contingere posse ne desperes, modo tua etiam ipsius voluntas & studium diligens non desit.

A D O L P H V S.

Ego vero hæc omnia ex te audire percipio, & nullum vnquam laborem subterfugiam, quo minus huic desiderio meo satisfacere queam, cum præsertim ea omnia & honesta & vtilia esse facile perspiciam.

S E N I O R.

Summo rationis acumine ante omnia consideranda est nobilitas & excellentia septem dignitatum illarum, quas mox ordine tibi pandam, quæ sunt, valetudo prospera, & temporis accurata dispensatio, quæ triplex est, reiicienda item venustatis & authoritatis existimationisque humanæ, vt & fortitudinis ac potentie, diuitiarum quietiam & rei familiaris cura: hæc enim quatuor dona sunt, quibus inco-gitanter homines abuti solent. Quod ni Deus Opt. Max. afflictionum & tentationum flagellis præter hæc nos haud visitaret, nec inopinata quandoque morti traderet, nec terribili illa tuba reuocans (coram eo enim nullus personarum respectus, aut dignitatis consideratio, & nescia hominum mens, serus quid vesper vehat) remoram inijceret humano generi, faciliori via ad bonorum eiusmodi contemplationem & cognitionem perueniremus. Verum enimvero, quotusquisque nostrum iuxta animæ salutem etiam de æterna illa, & perpetua valetudine, æterna pace, angelica venustate, cœlesti fortitudine & sapientia, ac thesauris

glo-

gloriae curam suscipit? quae omnia nobis promissa sunt, & quorum communicationem expectamus, per saluatorem nostrum Iesum, sed non in marcessibili & putrido hoc corpore, si nimirum in vijs eius ac praeceptis ambulantes ad finem usque perseverauerimus, ad arcam illam foederis veram usque. Qui enim voluntati illi diuinae, in libro vitae patefactae & demonstratae, obedientiam praestiterit, ex libro illo vitae nomen eius non auferetur, omnes enim vocati sumus. Quamuis vero & de gloria huius mundi dicenda aliqua essent, quae vera scilicet est, nulla tamen haec est & emortua plane caelesti illi comparata, preciosissimus licet & haec sit thesaurus, talem enim & ego agnosco, sed caduca & vana, non autem perpetua & immortalis, prout caelestis illa gloria, Christus. Beati autem & vere felices illi sunt dicendi quorum mentes Deus per afflictionum tenebras illuminat, & huc usque perducit, tunc enim spiritualis illa concertatio & lucta & arma quibus in ea utendum, patefiunt, vnde patet, temporalia illa tantam efficaciam praestare non posse, sed vim illam a solo verbo Dei pendere & in mortis articulo hominibus concedi, verum nec omnibus haec conceduntur, hinc etiam praeposteram curam agentes, minus de ea solliciti, vitam plane ociosam & voluptariam viuimus, arbitantes cum sola natura nobis pugnandum esse & concertandum, cum tamen longe aliter haec sese habeant, hinc securitas illa in tota fere hominis vita tyrannidem gerens. Hinc manifestum quoque euadit, etiam spiritum hominis passionibus & cruci subijci, prout etiam primus ille peccauit, & corpore secundo peccata consummauit. Eodem modo etiam spiritualis illa anxietas & afflictio mortem praecedat, eamque horribiliorem homini & terribiliorem omnium aliarum rerum proponit, & hoc praecipue ijs, qui in securitate illa & voluptatum palude etatem transegerunt, hinc ille conscientiae vermis ani-

mas hominum mille tentationum modis arrodens. Vtinam vero tempore gratiæ florentis gloriam Dei vere cognosceremus, & oculis audituque apprehenderemus tanq̄ in præterito digniori & futuro comparati in verbo eius, in quo cælestes thesauri & æterni latent, qui & post omnium aliarum rerum desolationem & interitum permanent, quamuis omnia plena sunt gloria maiestatis diuinæ, & de illa omnes creaturæ & opera manuum eius in cælo, subtus cœlū, in terra, & infra eandem testimonium perhibent. In his enim omnibus Dominum Deum in potentia virtutis suæ & bonitate contemplari licet, hoc si exactius considerauerimus, deprehendemus ingentes adeo sapientiæ thesauros nobis contemplandos esse, vt præter cognitionem verbi eius, præ tenuitate nostri intellectus ante Dei faciem contremiscentes, eos assequi vix vnquam sperare possimus, cum videamus Deum Opt. Max. cuncta in nostri amorem ordine bono & decenti creasse. Talis enim Deum spiritu vere contemplatur, & de eo gaudere potest, cum imaginem Dei spiritu sese esse sciat, & vitæ suæ actiones ad Christi primi Adami & præcursoris actionum normam dirigere, ad proximi utilitatem, teneatur. In futura autem & perfecta vita cognitionem plenariam Diuinæ gloriæ acquiremus, absque vlllo addiscendi labore ac tædio, quod in hac vita deuorare cogimur, in ea vita diuini nominis honor & gloria consummabitur, in æternum permanens, nouimus enim misericordiam eius quotidie renouari & gloriam eius linguis Angelicis decantari satis non posse: nec enim homines nos mysteria diuina perscrutari & prædicare satis possumus, nisi hæc omnia ex dono spiritus sancti fiant. Improbi vero, qui in administranda illa re familiari male versantur, propositam habent æternam ignis æterni afflictionem, sitim & famem æternam, spectra dæmonum, frigiditatem & æstum intolerabilem, quæ etiam ipsos dæmones affligent, quam-

quamuis elementares passiones sentire non possint, sed solum pœnas aternas & spirituales sentient, de quibus nihil certi, nisi quod ex verbi diuini mysterijs hausimus, dicere possumus. Quin & aternitas illa & temporis duratio omni fine carens, consideranda, & examinanda est, omni que temporis momento Deus exorandus, vt nos ab hoste, qui in omnibus vijs & semitis nostris, infinitis tentationibus & malis nos opprimere tentat, liberet: prout etiã creaturæ aliæ & elementa, cœlestia corpora & spiritus, idem periculum inferre attētant, nisi etiam hac in parte Dei auxilium occurreret. Omniū igitur maxime est necessaria precatio ardentior, qua auxilium spiritus sancti imploramus, vt eius gratia adiuti verbum Dei absque intermissione audiamus & addiscamus, per quod fiduciam illam in Deum acquirimus, quæ norma etiam est & lydius lapis vitæ nostræ, cum & ipse dicat, Fac hoc & viues: & alibi: qui peccauit, pœnitentiam agat, & à peccatis desistat, non enim morte peccatoris gaudet, sed vult vt conuertatur & viuat. Quod vero ad carnis nostræ sensum attinet, videretur prima facie, nullum esse numen cœleste, cuius ira & pœnæ timendæ forent, cum nihil nisi terrena omnia & caduca, non autem diuinum numen, oculis nostris cernere & audire queamus. Verum aliter res sese habet, habemus enim Moysen & Prophetas, & vocem clamantem in deserto, qui verbum Dei & voluntatem eius annuntiant, & viam præparant, quo digni efficiamur in die illa magna mortis nostræ & iudicij vniuersalis, cum actiones hominum omnes, iuxta normam libri vitæ & testimonium spiritus examinabuntur, & sententia fereretur super omnem carnem viuentem, tunc enim infideles videbunt eum, cuius latus perforarunt, cum tamen inuisibiliter & in spiritu ac fide eum videre noluerint, nisi digitos suos vulneri illi a Iudæis illato applicauerint, ea ma-

gis considerantes quæ naturæ huius mundi conueniunt,
quam quæ cœlesti illi Regi attribuuntur.

A D O L P H V S.

Concionem equidem pastoris cuiusdam audire mihi videbar, licet diffiteri nequeam spiritualia hæc oneri mihi fore, & actiones vitæ meæ iuxta hanc normam instituire non libeat, sed forsan & olim hæcce didicisse & perfecisse iuuet. Interim tamen vires ingenij exerere & ea omnia facere sedulo annitat, quæ per humanæ nostræ imbecillitatis vires facerelicet. Verum cum antea thesauri huius mundi mentionem feceris, aueo ex te scire, quisnam ille sit thesaurus mundanus, videor enim & mihi eum tam pridem cognouisse, eumque nullum alium esse, quam mundi huius opes & diuitias. quod si vero alius & diuersus ab opinione mea hic sit, eius descriptionem & cognitionem pleniorē à te vehementer expecto.

S E N I O R.

Quid ni expectare eius cognitionem te pleniorē putem? cum vel vniuersus hic mundus eius cognitione ardeat, verum persuasum hoc tibi habeas, esse thesaurum hunc virtuosam & spiritualem essentiam, nec solum diuitijs, sed etiam medica scientia pollentem, & quidem tali medica potione, qua homines insuperabilibus morbis, diuina asp irante gratia, liberantur, quibus etiam medicus alius leua men aliud afferre nequeat: hoc vero mysterium omnem au ri argentiue præstantiam longe exuperans, rationem hu manam exacuat, & plenum est mysteriorum, quæ vel incre dibilia alijs videntur. De his omnibus Apocalypsin Her meticam Theophrasti perlegere poteris, non enim hac vi ce ego tibi dicere constitui quidnam ille sit, mysterium namque hoc arcanum est & absconditum ab ipso mundi ex
ordio,

ordio, ad hoc vsque tempus, hæc enim Dei est vountas,
nec ego Naturæ illud sigillum reuelabo apertius, more an-
tiquorum Philosophorum, & mysteria hæc præter alia alias
etiam satis aperte & dilucide varijs scriptorum monumen-
tis tradita sunt, verum diuina prouidentia factum est, quod
 pijs huius artis sectatorib. mysterium sit reuelatum, à prin-
 cipio enim futura hic cognoscit omnia, & hæc est diuina il-
 la prouidentia cui fasces superbiæ submittere homines o-
 mnino decet.

A D O L P H V S.

Equidem iam demum ego agnosco & intelligo dicta
 tua, licet spiritali velamine huc vsq; tegere ea sis conatus,
 hoc enim mysterium vere lapis est ille Philosophorum o-
mnium scriptis adeo decantatus, ex prima materia com-
positus, sale nimirum, mercurio & sulphure. De hoc lapi-
 de Philosophico omnium libri pleni, & adhuc plura scripta
 quotidie in lucem prodeunt, & quidem nonnullos etiam
 noui, qui huic arti addicti, etiam multa de hac mecum col-
 locuti, scripta etiam monstrare solent, quæ & ipse quibus-
 dam in locis mutauit. Etsi vero hæc quandoque accurate &
 artificiose elaborata sint, corrumpuntur tamen & pernicio-
 se mutantur à talibus, hinc & typographus & plebs imperi-
 tra fraudem sentit, cum emolumentum ad solum illum per-
 ueniat plagiarium: hinc magnum scandalum percipio. Præ-
 ter hæc & nullibi fere artis finem & effectum videmus, ac
 rari nigroque similimi cygno artificij huius cultores, qui ve-
 rum eius vsum & effectum assequuti sunt, quin & plerisque
 in scholis artis hæc præcepta pro nugis ac fabulis reputan-
 tur, quod non semel ex viris apprime doctis audire licuit,
 qui dissertatione cum artis huius cultoribus instituta, pla-
 garios eos, impostores & sycophantas pronunciarunt, cum
 nulla artis constantia & certitudo reperiatur, nec & mihi

credibile vnquam videbitur, huius artis mystas verum aurum & argentum ex alijs inferioribus metallis producere posse, & vel diuina virtute vel incantationibus & ministerio dæmonum fieri hæc puto. Præsertim cum plerisque de familiaritate cum dæmonibus suspectos non abs re audiuerim sapiuscule. Verum à te, vir venerande, cum videam te huius artis haud leui cognitione imbutum, enixius audire gestio, licet mysteria huius reuelare alia & primaria recuses, verum de hac & accuratius iudicium, num scilicet hocce donum vere à Deo Opt. Max. hominibus datum fiet, tantam metamorphosin naturæ arcanorum instituire, quæ quidem cogitantem magna me subit admiratio, præsertim cum & nonnulla legisse me recordor, in hunc sensum, verum sensum eorum assequi minus videbar cum recondito ab alijs dicendi genere mystæ huius artis vti soleant, hinc vanæ tot annorum & sumptuum laborumque immensorum profusiones, vt vere exclamare hic mihi liceat, dubiam plane, incertam ac fallacē spem esse, quæ huic arti addictos nutrit, præsertim cum nullibi verum effectum huius videre liceat.

S E N I O R.

At, verum huius artis effectum, & finem ego tibi, amice, ostendam, quo certitudinem eiusdem, & me possessorem eius verum agnoscas, at lapidi hoc dictum velim, hoc vero persuasum tibi habeas, me vna cum alijs huic studio addictis radicem huius arboris veram optime cognitam habere, quæ tamen radix alijs omnibus ignota eo vsque est, donec de arbore decidat, & ab alijs etiam ac vulgo cognoscatur. Ne vero tædio afficiaris, cum videris me prolixius solito de hisce differere, sic enim ratio huius artis exigit, & primaria, præstantiaque præcedere debent, terrenis subsequenteribus, ad quæstiones autem mihi à te propositas, in-
ferius

ferius dilucidius respondebo, & veramē dixisse, demonstrabo apertius.

A D O L P H V S.

Ante omnia vero causam mihi aperiri velim, qui fiat, quod huius artis cultores nullos sciamus, qui verum artis finem assecuti, transmutationem metallorum exacte calleant, econtrario vero nullius pretij fere apud omnes doctos hæc habeatur, cum tamen merito & hi eius plenariam cognitionem callere debeant, præsertim cum hæc tanta cum utilitate & fructu sit coniuncta, licet nullum vsquam locorum viderim, audiuerimque, qui huius beneficio decantatas illas Cræsi opes sit consecutus. Et quidem cum & tu huius artis cognitionem tibi vindices, paupere vestitu & eremitano incedis. Ego vero si huius præstantis adeo & aurifera artis processum cognitum haberem, ingentes diuitiarum thesauros, & mundi opes, dignitatemque compararem, quæ vel potentissimis mundi Regibus terrori essent, & æmulationi, tales enim huius cultores alijs pollicentur: quæ tamen, circa hæc, tua sit sententia, audire percipio.

S E N I O R.

Video tibi, vulgi huius mundi, & insipientium omnium, sententiam arridere, qui omni studio diuitiarum solummodo marcessibiles thesauros & voluptatum illecebras quærunt, longe vero alia est Philosophorum mens, ac sententia, non enim Philosophi nomine talia ludicra sectantes digni sunt, sed ij, qui ad mysteriorum diuinorum cognitionem plenariam assequendam annituntur sedulo, omneque studium & laborem ad Deo Opt. Max. & proximo inferuendum conferunt, ostentationis titulo ac ambitione terrenæque opum congestionis cura remota, licet & illis necessaria

faria ad hanc vitam Deus misericorditer largiatur, alia huius seculi studia, alia mens in sola pecuniarum acquisitione laboriosa & opum dignitatisque ostentatione inuidiosa occupata, quorum in odium Philosophi huius artis mysteria abscondere solent, ne Nemroticæ familiæ huius vim & oppressionem sentiant. Eadem ratio est, ob quam hæc secreta circulatoribus & præstigiatoribus conclusa permaneant, ex eius namque propalatione magna cuiusque ordinis huius mundi confusio & perturbatio exoriretur, cum tamen ordinum hæc distinctio summo consilio à Deo ipso instituta, & ad concordiam pacemque inter homines propagandam, necessaria maxime fiet: Deus enim Opt. Max. hanc ordinum & graduum inter terrigenas distinctionem ita disperfit, vt alteri alter inseruiret, & concordiam ac pacem alterius procuraret, quousque à Deo rursus abinvicem separentur, quemadmodum artis Alchymicæ cultor animam, corpus & spiritum abs se inuicem segregat, & vicissim coniungit. Hæc autem diuina Dei Opt. Max. segregatio nulli hominum facienda est, nisi improbos coercendi præceptum acceperit è verbo eius, quod solum est veritas illa vnica & iustitia: quicquid autem extra hoc est, blasphemia est & abominatio coram Deo. Hinc enim magistratus Dei vicem gerens, potestatem plane diuinam accepit: hinc & legis illa vindicta aduersus eum, qui sanguinem humanum extra hoc præceptum effundit, nec enim apud Deum vllus est personarum respectus: separatio autem hæc diuina attentius consideranda & summo in pretio habenda. Verum hæc extra cancellos dicta videntur, magnum tamen emolumentum & vtilitatem humano generi afferunt, ob eamque annectere placuit. Verum enimvero in libro Ezechielis Prophetæ mentio fit quatuor ventorum, qui ossa demortua afflarunt, quæ ex illo carne circumdabantur, quin & spiritus, qui illa occupauit, mentio ibidem habetur,

pari

pari ratione etiam dissipationis & reditus ventorum in-
entio fit crebrior, videmus etiam in agone mortis omnia in
homine ab inuicem segregari, quatuor enim tunc elemen-
ta, spiritus & anima, quæ spiritus nomine insigniuntur, se-
gregantur, & ab inuicem discedunt, horum loco elemen-
tatis illa aqua & terra copulantur, & alius etiam aer ac ignis
condensantur. Sideralis spiritus vitæ, internus & inuisi-
bilis homo ad sidera redit, & supra elementa eleuatur, ani-
ma in sinum Abrahæ tendit iuxta Dei promissiones, & sub
altari quiescit, vsque ad consummationem & coniunctio-
nem, donec scilicet numerus & tempus huius mundi, ter-
renæ matris nostræ, & cæli naturæ parentis compleatur:
quin etiam videmus, quo modo terra quotidianos nobis ci-
bos suppeditet, in ijs latet spiritus elementorum, tanquam
nutrimentum, vt & cælestis essentia. Pari ratione etiam
nutrimentum aquæ & ignis habemus, quo temperamentum
conseruamus, in corpore terreno, quod spirituale etiam
ignem & aquam continet, ad confortandum interiorem
spiritum. Quemadmodum enim terra hæc ambo in se ha-
bet, eodem modo & cælum, quod quinta essentia dicitur, hoc
enim longe nobilius est Elementis, & spiritus nutrimen-
tum, prout verbum Dei, cibus est animarum, & corporeum
factum est, vt corpus, animam & spiritum cælesti beatitudi-
ne donaret, quamuis cibus & nutrimentum corporeum
non sit, sed vinculum & sigillum apochæ & libri vitæ, in te-
stimonium veritatis, propter exiguam fidem & cognitio-
nem numinis diuini imbecillum, cum Deus naturalia & spi-
ritualia summo amore prosequatur, & velit creaturam
suam omnem in homine esse, & in coniunctione Christi,
quo lapsi releuentur. Quemadmodum vero verbum Dei
principium est omnium rerum, pari ratione etiam est prin-
cipium imaginis Dei, ex auditu namque verbi Dei, flos ille
spiritus sancti fides oritur, & ex semine illius floris exaritur

arbor bonorum operum, quamuis opera bona salutem æternam non mereantur, sed sola fides in verbo Dei, ante faciem nostram stulto & impossibili existentē. Hoc verbum amor est ille magneticus, per quem nos cum pijs omnibus ad se trahit, & a nemine separari potest. Eodem modo & siderali magneticus est amor, & natura illa terrena, quæ omnia exactiori trutina consideranda sunt & pensanda, prout & illud exagitantium, in cognitione naturæ, quod internus homo in natura efficiat, qui inuisibilis est & cœlestis, anima autem est supernaturalis & supercœlestis, de quibus omnib. nihil aliud scimus, nisi quod a Deo nobis reuelatum est. Natura vero naturales illos spiritus proponit, licet summi sint, & abdita consideratione egeant, corporalis autem homo spiritualia non intelligit, nisi per Regem spirituum, Spiritum illum sanctum, spiritum veritatis illi reuelatum fuerit, per hunc omnes artes, sapientia & scientia ponderatur, hic spiritus supercœlestem ignem amoris & magneticum spiritum sapientiæ in Christianis excitat, & accendit, & aqua nos abluit & candidos reddit, vt pœnitentiam agamus pro peccatis nostris, & reatibus nostris quotidie moriamur, hinc crebra illa mentio aquæ & ignis, sanguinis & aquæ spiritus, hic est, qui vitam dat, peccatum enim nostrum sanguinei coloris, peccati autem merces mors atra, crux & afflictio, piorum vero stola candida & corona gloriæ. Hæc prolixius dicta in præsentiarum sufficiant: ad quæstionum à te propositarum enodationem descendamus, quarum & explicationem tibi ordine pandam, & reipsa artis huius certitudinem demonstrabo, ita vt fides tua in posterum oculata reddatur. Ad alterum autem obiectum quod attinet, doctos plerosque huius scientiæ exiguam cognitionem habere, scias hoc singulari Dei voluntate & ob certam vtilitatem fieri, Deus enim superbiam omnem & ambitionem reprobat, & humilibus ac pauperibus,

bus, non autem magnatibus & filijs huius mundi thesaurum hunc largitur, quem homo iuxta præceptum Domini fœneri locare tenetur, ad honorem & gloriam Dei extollendam & pauperum inopiam subleuandam, ne scilicet inerti ocio torpescentes vitæ munia derelinquamus, sed iuxta Dei voluntatem & beneplacitum opera vocationis nostræ obeamus. Quod si vero hic thesaurus omnibus tribueretur, quæ quæso confusio & discordia inter mortales exoriretur: nec video, qua ratione dictum illud Syracidæ, mi fili, si Deo in seruire & placere vis, præpara te ad diem afflictionum, verificari posset? quod quidem dictum de paupertate, inopia & imbecillitate humana loquitur, vt ex teipso conijcere facile poteris. Nec etiam hominibus conceditur, thesauro hoc pro animi libitu vtendi fruendi, malitiosa enim hominis natura & deprauata. Hoc igitur arcanum nemini reuelato, nec superbiæ, auaritiæ & ambitioni manus dato, Dei enim honor est & gloria sola, sic enim si fortuna fauet, caueto tolli, si fortuna tonat, caueto mergi, Deus enim vtriusque fortunæ arbiter, pro sua voluntate vtranque moderatur, non enim minor virtus est ante adeptam scientiam, omni studio eam venari, quam post illam adeptam silentio eandem regere: verum si alio modo, quam reuera sese habet, reuelaueris, ars illa summa, artis nomen & dignitatem amittit. Hinc è Philosophis quidam inquit. Hoc opus præ omnium oculis abscondito, tanquam verbum in lingua tua, & ignem in oculis tuis, imo de hoc tecum ipse ne differas, ne ventus verba tua ad alium perferat, quod quidem ad tui incommodum postea redundabit, de hisce ego te fideliter præmonui, tuum est cauere sedulo, ne corpore & animo pœnas luas. Magnus vero est abusus præstantissimorum horum Dei donorum, quæ ex mera gratia & liberalitate Deus nobis largitur, summa etiam ignominia conculcantur & abijciuntur Philosophica hæc do-

na, & scientiæ, quæ ab ignorantibus pessime conspurcari solent, ob quam ignominiam etiam lucem hanc videre non poterunt. Auaritiæ autem & luxuriæ crimen adeo profus in filijs huius seculi inoleuit, vt & domesticis eorum fides lubrica & iustitiæ fontes, iuraque omnia subuertantur, huiusce rei exemplum quod oculis hisce meis videre mihi licuit, enarrare placet. Habebat in vrbe quadam vir prædiues & opum diuitijs apprime affluens, plurimorum filiorum parens, auarus, parcus, & in proprium corpus ob avaritiam iniurius, ingentes filijs thesauros congregabat, qui in omni rerum affluentia per matrem educati, opum fiducia paternarum luxuria & ocio torpescentes, sceleribus diffuentes, cum vitiorum progressu etiam ætatis incrementum capiebant. Cum vero pater ex hoc vitæ diuersorio discessisset, bona illa paterna indies abligurientes, vitijs & sceleribus immergi, opum & diuitiarum incrementum (vt prius factum fuerat) stulti expectabant. Verum frustra, sed rei familiaris & opum decrementum indies sentientes, ad extremam pauperiem redacti etiam à maximis sceleribus perpetrâdis non abstinabant, ignominia & dedecori per omnem vitam expositi. Hæc autem omnia ex peruersa educandi institutendique liberos ratione prouenerunt, prius enim in morum & scientiarum cognitione instituendi fuerant. Dei namq; voluntas est, vt distincti sint ordines & gradus hominum, & alteri alter inseruiat: omnes etiã homines in vocatione sua & ordine serui sunt, & mercenarij, Dominus enim & seruator noster alijs itidem opera seruilia præstitit, & discipulorum pedes abluit, honor autem in alijs minor, in alijs maior est, & sumus, prout dona quoq; sunt, & benedictio, hinc illa norma ab ipso patrefamilias Deo Opt. Max. præscripta, quo modo serueris in vocatione tua, eo etiã mercedem tibi numerabo. Deus vero vnica die dispensat ingentes adeos diuitiarum thesauros vt & opulentissimorum Regnorum diuitias longè exu-

perēt, nec tamē vllus inopiā futurā apud eum metus, quinimo, quo plus dederit, eo plurib abundat, & hinc Deus ante alia omnia & super omnia amandus & diligendus est amore summo. De opibus vero humanis plerūq; hoc contingere videmus, quod avarum congerentem Euclionem liberalis subsequatur dispensator, iuxta doctiorū illud: Opes cornua pauperi addunt, & in extremam sapius præcipitant possessore perniciem, ac sempiternos Gehennę cruciatus. Si enim diuitijs & opibus huius mūdi quis abundauerit, verā valetudinis & cœlestis pacis seriam cogitationē curamq; haud facile suscipit, nec egentes liberalitate subleuare studet, omnē contra diligentiam & studium acquirendis magnarū opum aceruis cōsecrat, Dei interim & pietatis omnis oblitus, summo igitur cū periculo iuuenes in hisce mundi illecebris versantur, etsi prudentia ætatis defectū interdum suppleat, pij autē calicem afflictionum bibere coguntur, improbis ad æternos Gehennę cruciatus reseruat. Verum hæc omnia filijs huius seculi ludibrio sunt & risui, qui liberos suos præparentib. familijs & opibus inserere satagunt, non attento conscientię morfu, qui serio dictitat sapientiam diuinam primū omnium quærēdam esse, sine qua nihil vnquā in hoc mundi teatro consistit, hinc ille conscientię vermis, varijs tentationū telis corda miserorum in agone mortis arrodens: non .n. homines animæ salutē in humilitate vera quærere solent.

A D O L P H V S.

Aliena plane à scopo & diuersa adducere videris, licet nonnulla & in me dicta esse sentiam, verum sedulo reliqua attexe, attentus ipsum finem expecto, interim tamen hic scrupulus animum meum mordet, quū fiat, quod ars hæc & mysteria Philosophorum non etiam alijs reuelentur, & innotescant, cum videamus artes alias omnes plerunque vulgo innotescere, & hoc quidem nonnunquam maximam dubitationem diligentius consideranti, mouet.

S E N I O R.

Ante hæc ex me audiisti, omnibus huius artis cultoribus silentium imponi, & occultationem huius scientiæ, propter tyrannorum huius mundi, scortatorum, superbiorum, vsurariorum, luxuriosorum & aliorum scelestorum potentiam, & flagitia. Omnes enim Philosophi veram cognitionem scientiæ huius summa arte abscondunt, nonnulli vero qui eius possessionem adepti, male in eius administratione versati sunt, amiserunt vsum eius & commoda, quibusdam etiam, immatura morte, vt & violenta ab alijs illata, abreptis. Auditor enim & possessor huius artis humilis, pius, taciturnus & probus sit oportet. Si igitur & tibi Deus eius scientiam & possessionem largitus fuerit, eodem modo te geras, nec alij diendas, sed assidua diligentia vltiori cognitioni & operibus vocationis tuæ sedulo incumbas, proximo etiam quin & inimico beneficentiam exhibeas, ad hoc enim norma Christianæ religionis nos obligat: hostibus autem fidei summis viribus resistendum, & in hoc sedulo annitendum, vt & alii in Dei laudem accincti, misericordiam eius nobiscum decantent: propter ingratitude vero multa abscondita latent, ignorantia enim damna plurima parit, scientia contra bona adauget, & est radius ille lucis. Plurimi autem inueniuntur qui artem hanc inuestigare conantur, sed nec taciturnitati nec alijs virtutibus ad ea assequenda necessarijs student, in eundem cum Phaethonte illo Ouidiano, currus solis paternos regere nesciente, interitum incidunt, summa quin etiam cura thesaurus hic est custodiendus, & asseruandus. Quod si homo vel parabolas solum & mysteria considerauerit, abunde sibi satisfactum putet, cum videat in natura sigillum & imaginem bonitatis diuinæ esse impressam, natura enim omnia accurate perficit & quidem perfectius, quam

quam ipse homo, qui tamen nobilissima est creatura, & proximior Deo, rationalis & dilecta creatori, vnde patet præstantia hominis respectu aliarum creaturarum, quam ob causam etiam præcepta & vitam æternam eidem Deus Opt. Max. proposuit.

A D O L P H V S.

Fateor equidem quam plurima hic consideranda esse, breuiuscule autem tuam de parabolis sententiam expecto, præsertim cum eas attendendas esse sæpius dixeris.

S E N I O R.

Imo ante omnia alia hæ sunt considerandæ, & hinc prolixam adeo earum mentionem feci, quod cetera fere cuncta præterierim, infinita enim fere sunt, non tamen necessaria: qui enim opus ipsum nouit, per se cognoscit anam hæresibus non esse præbendam, conantur enim nasutuli sub sacro Bibliorum nomine plebeculæ hæc nonnunquam venditare, quæ obuijs vlnis ea accipere solet, impium etiam & blasphemum opus aliud diuino comparare numini, verbum namque Dei scala est Iacobi, & Christus mediator & norma solus est, ad quem omnia in libro vitæ diriguntur. Pari ratione in opere nostro naturæ, videmus vitam & mortem, & resurrectionem, creationem item orbis vniuersi, numeros, mensuram & pondus, incrementum, vires & efficaciam stellarum & elementorum, in primis vero Solis & Lunæ, per solem enim iuxta beneplacitum & ordinationem diuinam descendit, eamque ob causam soli comparatur, & eius nomine appellatur, quemadmodum enim superius, ita & inferius, quo miracula perficiuntur, est etiam masculus & fœmina & seruus totius orbis, vniuersi opes & diuitias in se cõtinent, sol purpureus, & rubicundus, aureus. In hisce duo sunt notanda, vt de vno & duobus, Deus enim
Opt.

Opt. Max. ex nihilo aliquid creauit, illud aliquid vero fiebat vnum aliquod, in quo omnia, creaturæ cœlestes & terrestres, dixit enim Deus: fiat, & erat. Cum vero cuncta verbo suo creata essent, & ante eum erat vniuersa natura, & à re separata erat, ac bona, in essentia sua ante Deum erat, & beneplacitum erat Deo in eo, erat enim valde bonum, verum aliquid ex eo cito perierat, & non perdurauerat vsque ad tempus magni illius mundi, præter hoc igitur & aliud requirebatur, per vnum enim perdurare non poterat, pro ut initio conditum fuerat propter imbecilliores creaturam, quam Deus pariter volebat, & dicebat, crescite & multiplicamini, tunc enim multiplicabatur, in tantum, vt nihil interiret, vsque ad magnum seculum finis mundi, hæc enim erat benedictio Domini, quam homini verbo suo impertit, & omnia ad finem vsque obedientia summa perficiuntur, & spiritu sancto reguntur, idem etiam est in Adamo & Eua, masculo & fœmina. Obseruandum hic, qua ratione per Vnum creatio, per alterum augmentum, multiplicatio & conseruatio, & per tertium administratio perficiatur, tanquam per spiritum, hæc enim exactiori trutina examinanda sunt. Laus & honor Deo Trinuno. Postremo, Deus homini quoque ad essentiam cito præceptum & prohibitionem adiungebat, & omnia ei subijciebat, absque omni defectu, & potestatem dabat de omnibus fructibus Paradisi comedendi, præter vnicam illam arborem scientiæ boni & mali, cuius fructu interdictum ei fuerat, & quidem forsân ob dæmonis malitiam, cuius voluntati tandem tamen ex inobedientia subijciebatur, bonum enim solum est cognoscendum, & malum fugiendum, quo & hosti via præpararetur, Deus namque solus est Dominus, qui cuncta administrat; creaturæ vero omnes ei subiectæ: præceptum peccatum introduxit, cum homines id non obseruarent, ex instinctu scilicet dæmonis & proprij arbitrij, hoc etenim

etenim erat peccatum primum, blasphemum & idololatricum, scientiam omnem ignorantia tenebris inuoluens, quin imo in cognitionem & scientiam mali conuertens, vique in hodiernum diem, in vitia omnia & flagitia, & artes demonum, quibus in sacro baptismatis fonte renunciamus, in regeneratione scilicet & renouatione vitæ nostræ, in Adamo nouo, utpote ligno vitæ, quod parentibus nostris ablatum, in terrestri paradiso vitæ terrestris, repromissum tamen in semine mulieris Christo qui est arbor vitæ & spiritalis ac corporalis, quo non tantum anima, sed & corpus vitam acciperet. — Quemadmodum enim Adam ex Paradiso eiectus, in mundum hortum tenebrarum & afflictionum ac mortificationem sanguinis & carnis, mittebatur, eadem etiam ratione, si manna, hoc est panem, cœlestem, verbum Dei audiuerimus, & iuxta præcepta eius actiones vitæ nostræ instituerimus, & verbum quod caro factum est, credenter participauerimus, per illud vitam resumemus, & ex domo ignorantia in cœlestem paradysum transferemur, & sicut mors Adamum rapiebat, ita nos inuita etiam libertati sistere cogitur, per solum verbum Dei, Christum, in quo omnia sunt, in veteri enim Adamo morimur, in altero autem & nouo resurgimus, prout nos ille præcedit, quapropter arbor est vitæ, de qua comedere debemus in domo hac afflictionum exulantes. Quemadmodum vero primo Adamo certo genere fructus Paradisi interdictum erat, ita pari ratione, normam, præceptum ac viam nullam aliam excogitemus, neque ad dextram, neque ad sinistram, præter verbum Dei, in libro vitæ comprehensum, quod septem sigillis occlusum, Christus aperuit. — Sin vero præter hoc alia & maiora cognoscere desideramus, & de fructu arboris scientia boni & mali comedere, duobus inferuire velle Dominis dicemur, hoc est, Deo & diabolo, amplectentes mendacium pro veritate, & veritatem tanquam mendacium

N
1

NB
 cium reprobantes, reportabimus quin etiam mercedem
 condignam nostris operibus: Et in primis nostris parenti-
 bus factum est vt detruderentur è conspectu Dei viui, Deus
 enim non est homini similis, sed homines ad imaginem e-
 ius sunt conditi, vt præceptis eius obediant, nec illis detra-
 hant, addantur: cum sapientia & scientia quæ in cibum no-
 bis concessæ sunt, è verbo Dei, de quo homo viuit, & in libro
 vitæ horto spirituali decerptæ, nobis proponantur, ex hoc
 enim omne bonum, & per verbum omnia condita sunt, quæ-
 cunq; oculis & manibus comprehendere licet, ex inuisibili
 enim visibile factum est, ita etiam ex auditu verbi Dei fi-
 des ortum capit, ex fide bona opera, hoc est, ex inuisibili visi-
 bile, & ex verbo Christianus generatur. Hæc autem ita se-
 se habent, vt homo pari ratione agat & operetur, non vero
 otiosas & inanes quæstiunculas, de omnipotentia diuina se-
 ctetur, hæc enim Dei est ordinatio & omnipotētia, qui con-
 simile etiam exemplum homini præbuit, Thomas vero ille
 incredulus assequi illud non poterat, cum tantum modo hu-
 manam naturam & scientiam ac cælum elementare inferius
 agnosceret, & in primis quæ interiora sunt, vt aqua & terra,
 quæ tamen receptacula sunt & carceres mortis, hæc autem
 est Philosophia illa à Paulo reprobata, in qua nulla perfe-
 ctio, sola autem Philosophia illa cœlestis per fidem, charita-
 tem & spem consummatur. Hoc loco illud notandū, quem-
 admodum per verbum Dei omnia conseruantur, & nos fidē
 habere oportet verbo quod ex ore Dei progreditur: ita et-
 iam Christus Patri hunc honorem tribuit, quod absque fide
 nihil acquiratur, verum maior hominum pars non credit ea
 quæ non vident, nec considerant, Deum Patrem, Deum Fi-
 lium & Deum Spiritum sanctū oculis nostris peccato obno-
 xijis videri non posse, prout etiā homines radios vultus eius,
 qui omnem solis splendorem longe excedit, cū in visibili for-
 ma adhuc inter eos versaretur, videri ob naturæ peccatricis
 de-

B

defectum non potuerunt, quamuis ipse Christus etiam hodie corporaliter nobis adhuc adsit, & sit ad dextrā Dei, hoc est, in sacrosancta illa puritate & Deitate, prout omnem etiam voluntatē Patris adimpleuit, & omnia ex abyssu in summum vsq; in carne & spiritu peragrauit, & adhuc omnia in omnibus complet. Quis vero hominum qui summam illam altitudinem & sapientiam Dei peruestigare queat? scimus enim cœlum esse sedem illius, & terram scabellum pedum eius. Non igitur de cœlestibus illis inquirere possumus, nec cognoscere, nisi quæ in verbo Dei nobis traduntur, quæ D. Paulus vidit, & enunciare non valuit, sed verbum cœlestem illum panem, tanquam sigillum nobis transmisit, in quo animarum nostrarum salus consistit, nempe Dei voluntas, vera arbor vitæ, vt sanguinem eius bibamus, & comedamus carnem eius, firmiterq; credamus, sese hæc ita omnino habere, si verba institutionis recitentur. Ita etiam natura perfecta in speculo vnico multa miracula ostentat, quæ breuiuscule hic attigisse sufficiat, cum sacre scripturæ hæc concessa, ab ea satis reuelentur, talis autem Dei voluntate subnixus, omnia videt & cognita habet, prout etiam quidam è sanioribus Ethnicis cognouerunt.

A D O L P H V S.

Eo prolixo adeo sermone tuo deduxisti, vt vel maioris partis obliuio me ceperit, verum ex te hoc audire desidero, an non hocce opus naturæ spiritum in se habeat, qui mutationem introducit, cum videam te secundi numeri mentionem fecisse, qui multiplicetur, ad hoc enim vitalis spiritus requiritur.

S E N I O R.

Vere vitalis spiritus mineralis huic inest, qui cursum suum

A non
B
suum in eo consummat, postquam ab artifice præparatur iuxta dignitatem suam. Deus enim hominem ex mera bonitate dominum eius constituit, vt ex eo aliud quid, nouum nempe mundum, formaret, per vim ignis, iuxta ordinationem & præceptum à Deo traditum, præter hoc enim homo nihil omnino efficiet, & omnino requiritur vt hæc omnia in timore Domini, honesto proposito & pura conscientia peragantur. Quod si ergo quidam è fece hominum artis huius finem non assequatur, nemini scandalo fiet, quin etiam licet hominibus præ oculis versetur, & ad alios plerunque fines adhibeatur, paucissimi tamen verum vsum eius ignorant, nescientes præclarum hunc thesaurum tenebris illis obnubilatum: hinc plerunque aurum hoc purissimum densa caligine & ærugine septum cæno & sordibus immersum derelinquitur, quæ omnia recto naturæ ordine sic fiunt. Verum Philosophi saniores audito solum Mercurij nomine agnoscunt hunc thesaurum, & præ oculis habent, licet inuisibilis fiet & spiritualis, est nihilominus materialis, & virgo castissima, quæ virum non cognouit. substantia fragilis, hinc nomen eius lac virgineum, mel montanum terrestre, lac, vrina infantum, & similia: in his enim omnibus quæsiuerunt hætenus artifices, sed non inuenerunt, ex metallica enim materia, & optima quidem præparatur.

A D O L P H V S.

B
Annon igitur aurum hoc est, cum hoc nobilius adeo fit metallum, video enim te iam dudum hoc innuisse.

S E N I O R.

Minime omnium, sed alia etiam prius tibi cognoscenda sunt ex me, auidius enim adhuc terrestris auri thesauris inhias, verum nondum satis hæc percepisti, & quidem literis

ris consignatum vltimum & præcipuum huius artis mysterium tibi tradam, quamuis vero etiam in præsentī sermone meo dubia quædā inesse videantur, non tamen necessarium erit, ea dilucidius explicare. Non vero thesaurus hic aurum est illud mundanum, vt nec argentum, mercurius, sol, antimonium, nitrum, sulphur, nec simile horum quid, sed est spiritus auri, & mercurius, qui à Philosophis prima & secunda materia vocatur, peculiaris ac singularis naturæ & proprietatis, nullam ignis vim expertum, aurum obryzum orientale, omnium præstantissimum, altero illo auro mollius, & fufum, verus ille mercurius auri, & antimonium, ex corporibus qualitates suas attrahens, si liquidum fuerit. Præparatio huius nihil aliud est, quam vt pure abluatur, & affetur, aqua & igne, prout etiam alia pleraque eodem modo præparantur, vt Deo & hominibus complacent: Sublimatio igitur illa, distillatio, separatio, digestio, purificatio, & coagulatio, cum fixatione exacte cognoscenda, & ouum illud naturæ à quam plurimis ab ipso exordio quæsitum, diligentius inquirendum, de hoc plurimorum monumenta extant, inter alia quoque comitis Bernhardi, & aliorum, quæ tibi quoque sub calcem nostri sermonis ostendam, & parabolas multas ijs adiungam.

A D O L P H V S.

Cum videam artis huius vsum multo sudore comparandum, possessionemque eius cum periculo coniunctam, omninoque etiam subeunda vocationis munia, gaudium illud quod prius ceperam, remissius aliquanto factum & vana spe me delusum video.

S E N I O R.

Hoc tibi è tripode dictum putato, laborandum strenue esse & beneficentiæ munera erga pauperes exercenda,

non tamen pauperes quosuis, sed illos qui vere pauperes
 sunt, curam etiam pupillorum & viduarum ad Diuini no-
 minis gloriam & honorem suscipiendam. Honor autem
 Deo proprius nemini alij tribuatur, tum & consolationes è
 uerbo Diuino petantur, uerbum enim Dei naturam longo
 ordine præcedit, & seruus dominum subsequitur, paterque
 matrem dignitate antecellit: omnino autem ita agendum,
 ac si de hoc nobis nil prorsus constaret, sed labori uocatio-
 nis sedulo inhiandum, ad proximi uilitatem & Reip. emo-
 lumentum procurandam, & ignorantia mala profliganda,
 sine intermissione enim & ratio & corpus bonum operari
 debent (ocium namque puluinar est Sathanæ, & graui sub
pœna prohibitum, ex hoc enim scelera alia omnia, luxuria,
auaritia homicidia, mendacia, imposturæ, ac fraudes.) In
hoc imitantes naturam ipsam, nostrum autem opus nullo
vnquam tempore otiaur, & sine intermissione operatur,
omnibus diebus & horis, donec sextum tempus hebdoma-
darum eius compleatur, & sabbatum eius appropinquet,
tunc enim requiescit & honorat dominum suum, homi-
nem, cui iuxta Dei ordinationem inseruire debet, obtem-
perans præceptis eius, pari ratione etiam homines absque
vlla intermissione laborare & operari debent, donec in æ-
ternum Dei regnum ingrediamur, verum hæc omnia repu-
gnante quasi natura fiunt, & moleste ferimus, cum audi-
mus assiduo labore victum quærendum esse, donec in ter-
ram reuertamur, ex qua conditi sumus, cum ocium & do-
minandi libido omnibus ex æquo arrideat, pari ratione et-
iam in orationibus & deprecationibus segnes sumus, licet
omnia precibus à Deo impetranda & flagitanda sint, alios
ut mendicantes contempnimus, exiguo & ipsi censu suble-
uati, auari interim existentes, etiam inimicis ad benefaci-
endum obligati, quin & alia innumera flagitia inter nos
regnum

regnum possident, vt sunt, ira, auaritia, odium inimicitia, mutua diffidentia, propter hæc enim præstantissimum hoc bonum à nobis aufertur, vt & scientia illa præclara medicina, quæ in hoc latet, doctoribus alijs medicis incognita, nec enim hic thesaurus in scholis medicorum traditur, sed absconditus præ oculis illorum remanet, eodera modo quo & Phariseos internus spiritus sacrae scripturae latebat, qui erat verus ille Messias, & medicina animæ, quamuis in medio eorum versaretur, hinc etiam patri ille gratias agit, quod thesaurum hunc sapientibus huius mundi præcluserit, & insipientibus ac stultis eum reuelarit: Eodem etiam modo de hac nostra naturali medicina dicitur, voluntatem Dei præcedere debere, quæ ardenti prece efflagitetur, prout in omnibus etiam alijs rebus mundanis hæc diuina voluntas prædisponit omnia: hinc patet vanitas illorum medicamentorum, simplicium & syrporum, qui ab vnguentarijs vulgo, maxima cum iactura famæ & existimationis medicorum, ac dispendio ægrotorum, quinimo eorum certissima pernicie ac interitu propinantur, & sumptus illi ab ægrotantibus facti in superbiæ & luxuriæ alimoniam conuertuntur, prout nuperrime quidam homo rusticus querebatur, se ea arte delusum, vniuersæ prope substantiæ ac familiæ iacturam fecisse, nisi prope quidam exiguæ fortunæ homo ei auxilium tulisset. Sic enim plerisque fere eam tantum curam esse videmus, vt famæ & nominis celebritate donati maiorum gentium dijs assideant, interim curam illam & diligentiam, qua proximi emolumentum & particularia illa studia subleuantur, imo & ipsa vniuersalis illius cognitio acquiritur, prorsus negligunt. Summo itaque studio omnibus in id incumbendum est, quo bonum à malo separent,

hoc

hoc est, virtutem & fructus arboris bonæ cum radice tripli-
ci, mansuetudine, modestia & patientia cognoscant, pari
ratione etiam fidem, Charitatem & spem animæ fructus ex-
colant, vt sciamus quid veritas & iustitia eaque tam animæ,
quam corporis fiet, hoc est, boni cœlestis & corporei: hoc
 vero vt facilius assequamur, scientia Theologica & Iuridica
 nobis à Deo tradita est, in his enim puritas & sanctimonia
 naturæ consistit, virtus enim, opera vocationis & iustitia
 singularis est sapientia, lumen & Philosophia, iuxta quam
 Salomon homines alios omnes longe præcallebat. Ve-
 rum Deus ipse vnicuique opera vocationis suæ assignauit,
 mandauitque vnicuique nostrum, vt in vocatione sua ac
 munere vitæ iuxta normam verbi diuini, prudenter, pie &
 iuste actiones suas institueret, tanquam seruus Dei, & ratio-
 nem de omnibus redditurus ante tribunal Iudicis omnium
 gentium, coram quo omnia hominum facta reuelabuntur.
 Deo autem omne bonum descendit, pariter etiam ab eo
 sapiens & diues, pauper & insipiens, venustus ac debilis:
qui autem pauperem & imbecillum contemnit, spernit il-
lum, à quo est creatus, bonum enim omne à Deo, ex Dia-
bolo autem mala descenderunt, tanquam fonte & origine
 omnis mali. Singularem autem consilio Dei malum etiam
 in hac vita tyrannidem agit & pijs molestiam exhibet, licet
 Dæmon ex mera malitia ad detrimentum & interitum ho-
 minum dirigere illud conetur, omne enim malum Deo &
 pijs in bonum seruit, quin & ipse dæmon inuitus gloriæ di-
 uinæ inseruire cogitur. Solum autem peccatum nostrum
in causa est, quod malum bono in hac vita commisceatur,
sustentante interim nos benignitate & misericordia diuina.
 Eum in finem etiam præcepta Decalogi nobis tradita sunt
 à Deo, vt malum à bono separaremus ad euitandum æter-
 næ damnationis dispendium. Verum quæ sit mundi facies
 & studia, quiuis facile videt, & auari illi prædones Christi
 nomen

men in sacro Baptismatis fonte professi, Iudæorum perfidiam & rapacitatem immodicis usurarum exactiōibus imitantur, cum illi diuinæ voluntati morem se gessisse improbe putant, dum Ethnicorum & exterorum (quo nomine Christianos appellitare solent,) bona rapuerint, licet æternas pœnas saluator ijs comminetur, qui proximum usuris & exactiōibus lædentes, eorum bona abliguriunt, vt & illis, qui crapulæ & luxuriæ nomina dantes pupillorum & viduarum bona intercipiunt, hæc vero duo genera hominum auarorum & luxuriantium coniungenda sunt & pari calculo censenda. Vita vero locupletum illorum Patriarcharum, Abrahami, Isaaci, Iacobi, Iosephi & Iobi pretiosa & iusta modestiæ & obediētiæ erga Deum plena. Dei enim cultum omnibus alijs creaturis præponebant, & in puritate vitæ & iustitia ambulantes, ardentibus & efficacibus precibus ad Dominum fundebant. Quemadmodum vero in veteri testamento apud plerosque magnæ erant diuitiæ, sed magno constantiæ vinculo coniunctæ: ita in nouo inopia plurimos premit Christi cultores, requiritur tamen consimilis constantia, timor & amor erga Deum. Ex hisce omnibus satis copiose te intellexisse puto, causa quæ sit, ob quam mysterium hoc absconditum adeo & arcanum hætenus præ oculis multorum fuerit, cum dæmon facili negotio viam aliam aberrantem à recta via demonstrare possit per vanas huius mundi voluptates, hic enim in cognitionem omnis mali nos seducit, peruersus namque & sceleratus sapientissimum omnium, primum nostrum parentem Adamum seduxit: quinimo per huius astutiam omnes sancti in deteriora lapsi, & hoc propter peccatum nostrum, ex quo ira Dei in nos effusa est, & omnia summo labore, cura, ac sollicitudine mortalibus venduntur, hic enim calix ille crucis ad vsque sabbathum illud magnum & requiem futuro seculo æternam, in qua cum Christo Salvatore de

fructu vitis bibemus, vbi specie alia profus ab hac induti ad eum, pariter ad nos properantem, transmigraturi sumus, ad quam felicitatem quam primum nos perducatur Deus ter Opt. Max. per mediatorem nostrum, & spiritum sanctum, cui foedere filiationis coniuncti sumus, cui obedientiam promissam præstare tenemur, in sectando bona & profligando mala opera, vt offeramus ei nouos Israelitas, spiritum contritum, & vota Deo facta reddentem. In his spiritus Dei operatur per fidem, charitatem & spem, quemadmodum etiam ardens illud desiderium & consuetudo, in natura multa perficit, quæ incredibilia videntur. Pauci namque hominum patienter in cognitione Dei adipiscenda tædia illa deuorant, sed plerique terrestria bona & caduca sectantur, innixi voluptatibus, ambitioni & potentia mundanæ, hinc Christus regnum suum à mundo separat, & mundanarum rerum curam ab se reijcit, licet rerum omnium, sapientiaque ac scientia cognitio, fons & origo ipsa fiet, hisce tamen neglectis, regnum sapientia diuinæ annunciauit, quod ante omnia à nobis quaerendum esse, & ipse statuo: verum quæ tua circa hoc sit sententia, audire desidero.

A D O L P H V S.

Fateri equidem vel ipsa veritas me cogit, hæc omnia ita se habere, licet opinioni longe diuersæ iam dudum calculum addiderim. Et quidem sententia illa mea cum filiorum huius lucis opinione ad amissim conuenit, sed cum aliena profus ab hac ex te audiam, mutanda illa foret. Prorsus itaque & mihi, indubitatum videtur, mysterium hoc & arcanum non omnibus communicari & reuelari posse, præsertim cum & in alijs omnibus artibus tam ijs ad quas nos natura prouocat, quam quas magistro duce cognoscimus, idem profus obtinere videam, ad harum enim cogni-
tio

tionem assequendam gratia diuina, industria, diligentia & ardens studium maximo cum labore coniunctum requiritur, prout etiam in alijs omnibus vitæ munijs hæc necessario desiderantur. Me vero quod attinet, equidem & ego voluptariam hanc vitam complectendo, ardelionum, gnathonum, helluonum & fastuosorum consortia haud grauate ferrem, (cum & alijs quibusdam magnam felicitatem absque labore obtigisse videam) & thesauri huius usum ad potentiam & ambitionem, magnasque opes acquirendas, conferrem.

S E N T E N T I A.

Quin tu regibus & principibus huius mundi datam esse potestatem, nescis? ut loco Dei Opt. Max. malitiam hominum reprimant, iustitiam, veritatem & pietatem & obedientiam colant, propagent, quo omnia in hoc vitæ statu decenter & ordine bono fiant. Quemadmodum autem magistratus politicus gladio seculari sceleratos punire solet, ita etiã spirituales illi patres & magistratus ecclesiastici gladio spiritus, & verbi Dei ac mandatorum eius, vitam populi Christiani regunt, & post vulnera legis maledictione illata, oleo iustitiæ inungunt & sanant, nisi ipsi præuaricatores sanitatem & curam vulnerum respuant, non tamen hæc conscientia vulnera gladio temporali ab Ecclesiasticis sananda sunt, prout etiam videmus, Aaronem, Moysen & Iosiam distincta habuisse officia, donec in terrã promissionis ingressi erant, & subditis etiam mandatum est, quod obedientiam & honorẽ exhibeant magistratui à Deo ordinato, ne ambitione inflati se ipsos officijs magistratus ingerãt, & dignitatum munia munere, dolo, potentiaue præripiant, nisi ad hoc legitime vocentur, qui enim semetipsum alijs præposuerit, humiliabitur, cum ex ambitione & superbia hoc proueniat,

niat, cui Deus summopere resistit, superbia enim præ omnibus execranda est idololatria, cum Deus solus sit summus, & potens, omnesque ordines & gradus secularis potestatis iuxta suam ipsius voluntatem & beneplacitum instituat & gubernet, omnia in lumine & tenebris perspiciens, creator & author omnis ordinis iustitiæ & creaturarum, prohibens arbores & montes cœli fastigijs immisceri, bestias rapaces coercens, gigantum & tyrannorum vim & crudelitatem reprimens: omnibus enim qui Deo resistunt, & dilectis eius aduersantur, bona in malum & venenum cedunt, ijs licet sol communis oriatur, Deo turrim potentia illorum ventorum turbine mirabiliter prosterrente, cuius rei quotidiana exempla testimonium præbent. Præter hos reperiuntur quidam, qui mediocrium & minorum gentium artium scientia aliquid imbuti magnos spiritus ducunt, Dei Opt. Max. potentia vim eleuantes, & vitam Epicuream viuentes. Ab hisce summopere cauendum, præsertim cum natura ad malum propensi simus, licet ignoremus quomodo per verbum Dei mundus conditus sit, exque eo verbo spiritus procedens, ac imago Dei, quod Moyles à tergo in rupe videbat, lateat, non enim Christus eo tempore oculis corporeis videri poterat.

A D O L P H V S.

Longius ab instituto ad spiritualium quæstionum enodationem digrederis, cuius descriptionem & cognitionem avidus hætenus expecto, quamuis nonnulla ex te audire visus sim mihi, quæ antehac diligentiori trutina examinanda esse, non animaduvertebam.

S E N I O R.

Diuinorum pariter & humanorum bonorum cognitio pari passu quærenda est, cum externa illa bona ad temporale in felicitatem saltem aditum præbeant, sitque Dei

im-

immutabilis voluntas, vt nocte dieque legem eius meditemur, ex hac enim animæ salus exoritur, homoque cognoscit, omnia precibus ab eo bonorum fonte efflagitanda, terrenorum curam abijciendam, & dona nobis collata in humilitate & modestia custodienda esse, in hoc enim dæmonis maxima omnium potestas & astutia elucescit, eiusque vim & calliditatem nemo nostrum effugeret vnquam, nisi Dei misericordia nos protegeret. Quæ vero vlla hominis felicitas, emolumentum ac præstantia, omnibus licet vitæ voluptatibus & diuitijs abundet, nisi animæ morbi curentur, & auferantur? Hoc enim maximum illud erat beneficium, cum Christus Saluator noster peccatorum remissionem curationi morborum semper coniungebat.

A D O L P H V S.

Vera quidem hæc sunt, sed non satis decenti trutina examinantur apud plerosque, quod etiam vitium mihi ipsi inhærere diffiteri plane nequeo, cum & æquo plus animus iam dudum cupiditatibus & voluptatibus mundanis adhærescat. Verum enimvero cum diuitiarum vsus & possessio, vt & opus illud naturæ diuinæ voluntati non repugnet, spes me optima tenet, iuxta Dei Opt. Max. ordinationem & voluntatem meo vsurum, præter hæc Pharisæorum illa cæcitas me aliquantulum tenet, qui credere volebant, nisi miracula & signa viderent Christi, quamuis fidem ad salutem animæ necessariam adesse mihi per Dei gratiam minime dubitem, sed ad confirmandam fidem de miraculis diuinis & cognitionem parabolarum præclarissimi huius thesauri, exactiorem explanationem dictorum expecto.

S E N I O R.

Hæc omnia eo prolixius à me commemorata sunt, vt intelligas thesaurum hunc magicis artibus non acquiri,

prout alia ijs acquiri nonnulli putant, nec fiduciam plena-
 riam in eo collocandam, vt nec omnem ei fidem derogan-
 dam esse. Sed vt apertius demonstrem tibi, que vera illa cau-
 sa fiet, ob quam abscondi debeat à cultoribus, nec vni soli
 eum dari, nec enim omnia vni soli dantur. Hinc illa Christi
 saluatoris præclara parabola, Matth. 6. neminem duobus
 dominis inseruire posse: & vt videamus, Deum in naturæ o-
 peribus semetipsum patefecisse, quo opera eius mirabilia in
 omnibus cognoscantur, & quidem hoc modis varijs, & ten-
 tationum afflictionumque generibus diuersis, non volupta-
 tum cæno, prout videmus eum Zachæum illum animi vitio
 labascentem suscepisse, prætenuis licet & infimæ sortis hic
esset, eius nihilominus hospitio vti voluit, quoniam magne-
ticus ille amor apud Zachæum erat, qui in alios quoque de-
riuabatur. Verum ex communi humanæ naturæ labe ani-
 mum efferimus, & benignitatis fontem occludimus, quasi
 hoc Dei donum nobis in nostram solum vtilitatem concess-
 sum sit, cum potius in beneficentiæ opera erumpere, & mi-
 sericordiæ beneficia erga pauperes exercere debeamus, sed
 hæc omnia mundi huius sectatores facile rident, diuitiæ
 namque hominum animos peruertunt vt diuersa plane a-
 gant, & iustitiæ frænum immutent, hinc Mammon opes à
 Christo dicuntur. Quin & sapientiam diuitiæ conferunt, &
 numo loquente pauperum sapientia silentio inuoluitur,
 difficilis ea de causa introitus locupletum in regnum ecele-
 ste, sapientes autem pauperes, māsuetos, humiles Dominus
 nouit, & sustentat, diuitum copiam in inopiam redigens (cū
 parent nullius opera sese indigere) & sapientiam mundi hu-
 ius stultitiam esse demonstrans. Ante omnia, amice iucun-
 distime, regnum Dei quæramus, & cum Propheta Dauide
 oremus, vt Deus secundum nostram indigentiam & suam i-
pfius voluntatem necessaria largiatur, ne ad sinistram & er-
rorum viam deflectamus, cum via mundi huius lubrica val-
 de

de sit & periculosa. Salomon etiam Rex à Deo sapientiam flagitat, vt populum Dei ad eius honorem ac laudem gubernare possit, & ab ipso immensos diuitiarum thesauros accipiebat, prout etiam idem Salomon inquit, sapientiam in biuijs clamantem ad sui amorem & studium amplectendum inuitare, magna enim & præclara est gloria diuina, vbiq; nobis sese exhibens, & inuitans, pauci autem ex nobis attentius hæc considerant in hac mortali vita, quæ velocius auolans, plerisque nihilominus segnibus abire videtur. Magnum autem est mysterium Dei, apud timentes eum, & pijs lux exoritur in tenebris, ex Deo misericorde & iusto. Psal. 112. Ne igitur temporis pretiosum illum thesaurum, & mentis aciem corporisq; vires in acquirendis & congerendis mundanis diuitijs consumamus, ambitiosæ & superbos imitemur, sed potius omnia nostra ad eommodum & vtilitatem piorum, imprudentum licet, in timore Domini dirigamus.

A D O L P H V S.

Licet vera hæc fatear, scrupulus tamen ille adhuc me remordet, cum audiam Philosophorum esse sententiam, thesaurum hunc precibus à Deo efflagitandum esse, & deprecandum.

S E N I O R.

Aliquoties iam dudum ex me audiisti, regnum Dei ante omnia esse quærendum, & hinc omnia Deum nobis additurum, nec hominem ex solo pane viuere posse, sed ex verbo omni, quod ab ore Dei progreditur. Eadem autem ratione qua dæmon Salvatore nostrum tentauit, eodem modo & adhuc hodie nos tentare solet, tempore necessitatis, vbi enim fides & verbum Domini nobis non adest, in afflictionibus desperamus & animum omnino abijei-

mus,

mus, imo & prospera flante fortuna idem nobis accidit, festamur quinetiam ipsum dæmonem, & authorem omnis mali, & auxilium ab eo requirimus, ille vero ea nobis pollicetur, quæ sua non sunt, & in extremas ignorantia tenebras præcipitat, cœlestem igitur panem & manna terrestri longis parasangis anteferamus. Quod vero Philosophi, in inuestigando hoc thesauro, Deum exorandum dicunt, recte hoc & vere dictum, Deus enim solus nobis eum largitur, modo ne temporis etiam momenta ei præfigamus & modum, voluntatique eius frangamur inijci ne præsumamus, hic enim est veritas, sapientia & iustitia, unicuique iuxta suum debitum per spiritum sanctum tribuens, prout etiam in Apostolos ille est effusus. Hac etiam de causa quotidie in oratione Dominica, panem nostrum quotidianum efflagitare iubemur, nescimus enim quæ petere à Deo debeamus, & sapius ea quæ in nostri perniciem cessura sunt, petimus, licet hæc quandoque concedantur nobis vt per ea tentemur. Solum igitur auxilium spiritus sancti, prospera valetudo & pacis commoda à Deo petenda, ab hoc enim omnis scientia, & sapientia, & naturalis & spiritualis, descendit, Christus autem ardentem admodum salutem hominum desiderabat, hinc dicit regnum suum non esse de hoc mundo, & ad hoc se in mundum venisse, vt homines saluos ad regnum cœlestem reduceret, & ex tenebris ignorantia ac terrenarum opum erueret, donec tandem aliquos eo perduxerit, eum in finem orationem illam dominicam quam appellamus nobis tradidit, & docuit quo modo ad Deum patrem, cuius filij per adoptionem sumus, preces nostras dirigere debeamus, cum antehac sub ceremonijs Legis in metu & timore seruili coram eo ambularem. Præter hæc latere te non puto, naturale ex supernaturali oriri, & regnum Dei ab æterno esse, ex quo regnum temporale promanat. Annon enim primum cœlum & firmamentum præ-

præparatum est, post hoc Elementum, & omnium vltimo
terra, post hanc conditus est homo, creatura noua, & mi-
crocosmus. Primum enim Deus in homine in terra tan-
quam centro circuli incipit, prout prius ex maiore centro
initium sumpserat, post hæc hominis corpori vita & ani-
ma indita est, vita & anima æterna, ac immortalis, hoc e-
nim supercœleste est, & tanquam cœlum diuinum siede-
reum, tanquam spiritus essentialis omnium creaturarum vi-
uentium naturalium, postremo autem corpus elementale,
tanquam in corpus vnicum, centrum terræ, nomine salis
terræ à Christo indigitatum, sal enim omnia à putredine
conseruat, quemadmodum ex oceano naturali mundi co-
gnoscitur, quamam contagio ex tali putredine nasceretur,
nisi Deus sale illo hoc præseruaret, in primis vero si motus o-
mnis expers iaceret. Sali etiam conferuntur pastores &
ministri verbi, qui membra fidei suæ commissa à putredine
præseruant, per prædicationem verbi diuini & spiritum
sanctum, in hoc mundi oceano. Primus etiam pater no-
strum omnium Adamus vniuersalem cognitionem habe-
bat omnium creaturarum, cum nos posteri eius vix parti-
cularia quædam possideamus, & cognoscamus, cognitio-
nem illam nostram imperfectam esse, prout etiam vltimis
temporibus homines multi loco vnius Adami in multis
congregabuntur, & dicitur omnes artes ante supremum
mundi iudicium plenarie reuelandas esse. Nulli autem
hominum tanta cognitio & scientia datur, quanta pri-
mo nostro parenti Adamo concessa fuit, & Christo Adamo
illi nouo data, quam scientiam etiam sponsæ suæ largitur,
hoc est multis in vno collectis, donec in vitam æternam in-
grediamur, in qua omnia noua reddentur, & reuelabun-
tur, & vnicuique merces debita tribuetur, in hoc enim mun-
do varijs tentationum molestijs & curis subiagemus pro-
pter labem peccati, ex quo magna incommoda per inimi-

22
 cum generi humano inferuntur, nos enim imagine Dei amissa, contraria semper eius voluntati facimus. Præter hæc considerabis etiam dictum illud Saluatoris, quo thesauros illos nos quærere iubet, qui nec putredini nec furum aut prædonum rapacitati subiacent, sed sint thesauri spirituales, hominum conscientias in extremis tentationum fluctibus sustentantes, cum spiritus & corpus terrore ac tremore conuulsa humanæ opis auxilium frustra quærunt, eo enim temporis momento armatura cœlestis summa ope requirenda, & quæ sit cardinalium illarum virtutum mundanarum, quibus tempore gratiæ florente, nitēbamur, venustatis scilicet, sapientiæ, Opulentæ & Potentiæ, vis cauda ac fragilis patet, diuinæ gloriæ collata, quæ in solo Christo & verbo eius quæranda. Quod si vero tempore huius nostræ peregrinationis vigilantes & orationi vacantes, fidem nostram, Charitatem, spem, modestiam, humilitatem & patientiam, tanquam sponsa Christi, testaram fecerimus, vt conformes simus sponso nostro Christo Saluatori, in sinum Abrahamæ & Isaaci per scalam Iacobi ascendemus, & videbimus gloriam & petram fidei, ac dilectum domino discipulum Ioannem, qui tanquam Aquila superuolans, in solem oculos suos conuertit, gloriam scilicet & claritatem DEI, quæ Iacobo etiam ignota & abscondita fuit, cuius quidem gloriæ gustum & radium quendam tres hi discipuli in monte Thabor perceperunt. Verum hæc omnia eum in finem conscripta sunt, vt exemplo horum, mundanas opes aspèrnat, solum verbum diuinum & mandatum eius sectantes, opem spiritus sancti imploremus, & in fide, charitate, spe, humilitate, & patientia coram Deo ambulemus, percipientes pari modo gustum aliquem huius cœlestis Hierusalem & Paradisi. Hæc enim ex solo Dei verbo addiscimus, non vero mundi

21

15

di

di huius illecebris, hic enim solus est iustus, & misericors. Qui igitur imaginis diuinæ in sese restaurationem exoptat, misericordiæ operibus, & charitatis studeat, cum multi nos vnum corpus simus in Christo, & vnica eius sponsa. Hæc vero omnia tibi necessaria proponere volui, licet quotidie etiam ex auditu verbi Dei haurias, quo, ardentiori cura hisce intendens, iuxta dictum illud Pauli certo statuas, magnum esse vestigal, si quis pietatem colens, maiora non appetat. Nec enim quicquam in hunc mundum afferimus, nec egredientes ex hoc de fortunæ bonis quicquam efferimus. Quod si Deus huius vitæ & victui necessaria largitus fuerit, æquum est, vt donis illis contenti viuamus. Qui enim mundanas illas opes anxie quærunt, in tentationes & cupiditatum retia incidunt, donec ab ijs in extremam perniciem præcipitantur. Auaritia namque radix est omnium malorum, & qui concupiuerunt, à fide aberrarunt, in profundas calamitates demersi. Hæc omnia, ô homo Dei, summa ope fuge, & sectare iustitiam, pietatem, fidem, patientiam & humilitatem, militans bonam militiam, & apprehende vitam illam æternam, ad quam es conditus, & quam professus es coram multis. Diuitibus autem huius seculi præcipe, ne superbia efferantur, & sperent in diuitijs incertis, reponant autem spem suam in Deo viuo, qui omnia suppeditat, vt benefaciant alijs, diuites & abundantes operibus bonis, & thesauros in fundamentum bonum & apprehensionem vitæ æternæ acquirant. Hæc est summa & argumentum totius responsionis nostræ, adeo prolixè hæcenus enumeratæ, quo desiderium illud terrenarum opum tibi aliquatenus lenirem: verba enim hæc ex centro cœlesti solis illius Iustitiæ, & radijs spiritus sancti per vas illud electum Dei, prolata sunt. Vita autem & beatitudo cœlestis terrenam illam longe præcedit, quam & nos æmulari decet in hac carne, vt efficiamur caro spiritua-

lis, quæ ab omnibus huius mûdi illecebris abstinet, cum inimicis Dei continuum, & sub iugo spiritus bellum gerens.

A D O L P H V S.

Magna me admiratio subit, cum videam te spiritualibus illis & cœlestis doctrinæ mysterijs inhiare, quamvis pauci huius mystæijs animum attendere soleant, adeo vero prolixè & subobscurè hæc omnia hætenus tradidisti, vt facilius quiuis in auri quam diuinæ scripturæ amorem accenderetur. Ego vero magna cum voluptate ea omnia hætenus audiui, cum multa audiam, quorum me nulla hucusque cura habuit, prout etiam natura ad malum proniores, recte dictis factisque minus attentifumus.

S E N I O R.

Eo vero magis hicce attendere debemus, quod etiam naturale hoc opus diuinæ gloriæ in imaginibus ac parabolis plenissimum sit, præter terrenarum etiam opum abundantiam. Verum intuentem hominum vitam, plerorumque tædium me capit, pauci enim digni quibus mysterium hoc reueletur, in iuuenili enim ætate omnium rerum egenus, cunctis ludibrio habitus, ægre tandem à bono quodam viro susceptus, huc vsque magna cura, sollicitudine & varijs afflictionum molestijs iactatus, vix tandem emerit, ex his vero hominum cœcitatem in spiritualibus animaduertens, Christo Saluatori aures & oculos præbeo morigeros, ardenti voto obtestans, vt & me, & alios ex mundana illa cœcitate eruat. Huius generis & illud est, quod plerisque doctorum, diuitijs abundantes videmus, alios pene omnes despiciatui habere, nimia ambitione ac superbia inflatos, cum tamen in extremo illo vitæ articulo opes & ambitio illa opem nullam eis ferre possint, viresque adeo attenuentur, vt abigendis muscis vix sufficiant. Num vero ambitio
illa

illa superbia, & desidia sola causæ sunt, ob quas à Deo hanc in lucem missi sumus, fruges consumere nati? An non omnem curam & sollicitudinem eo intendere decet, quo sapientiam illam diuinam acquiramus, quæ quidem à plerisque male extruditur, nec hospitio excepta prout olim ab Abrahamo, Lotho & Deipara virgine suscepta fuit, ad hos enim & diuertit, & habitationem firmam in pectoribus eorum sibi præparauit. Hæc autem est spiritus Dei, imo & ipse Deus. Hinc patet, quidnam sit verbum Dei, quod in nobis habitare intendit, hoc enim est sapientia illa perfecta, non autem in ijs habitat, qui superbi sunt & animo elati, & qui sapientiam non quærunt, hæc enim quos diligit quærît & inuestigat, pios nempe & rationi obtemperantes, quæ pietas initium est sapientiæ. Hinc diuersi status humani generis constituti, & quidem tam in spiritualibus, quam corporalibus, vt sunt, Theologia, Iurisprudentia, Medicina, Mechanicæ artes, & liberales, quæ vocantur. Hac ratione artes omnes manuariæ per septem illas ad ordinem bonum & iustum reductæ sunt, bonum à malo separatum, veritas à mendacio discernitur. Dei namque voluntas est, vt malo à bono separato lumen verum in nobis fulgeat, cum post lapsum illum Adami primi per iram & astutiam dæmonis omnia subuersa & turbata fuere, nouusque Adamus nos tanquã Euam illam regeneratam ab omni labe separat, bonum à malo discernit, vitam & mundum nouum reducit per semetipsum, & verbum suum sanctum, ne posthac corpus & spiritus vnquam abinuicem separentur, sed firma permaneant in imagine Dei: Hæc enim est voluntas Dei, hocque modo nobiscum permanet in mundi vsque finem. Verum mundo refractario cæcitatem illam & tenebras Iudæicas proponit, qui veteris illius Adami vestigijs insistit, nec eundem per fidem in S. Baptismate morti tradit & opprimat, hæc enim sacra est operatio spiritus sancti, per verbum

N
 in fide, absque verbo autem nihil est, est enim ipsum Dei
 verbum. Qui autem verbo non credit, cum Adamo illo in
 mortis tenebris hæsitat, nec spem habet vitæ æternæ, non
 enim absque fundamento in fide persistere potest: estque
Ethnicus & hæretica prauitate insignitus, qui offendit ad
lapidem angularem, à D. Ioanne præmonstratum. Deus
 namque pro immensa sua misericordia quam plurima me-
 dia nobis proposuit, per quæ iuxta voluntatem eius à pluri-
 mis tentationibus & malis præseruaremur, & vitare posse-
 mus spiritum maledicum & doctrinam peruersam, animæ
 pariter ac corporis subuersionem procurantem. Officium
 magistratus politici huc quoq; accedit, per quod magistra-
 tus malorum vim & audaciam à ceruicibus piorum propul-
 sat, concordiam ac pacem procurat, fraudes ac dolos omnes
 propellit, & ius suum vnique tribuit, non quidem iuxta
 hominum affectiones & voluntatem, sed iuxta iustitiæ & di-
 uinæ voluntatis normam. Idem de medico, & facultate me-
 dica sentiendum, qui omnis generis morbos & infirmitates
 abigit, propulsat. Spiritus enim ille malignus omnis ge-
 neris mala, tentationes & afflictiones humano generi im-
 mittit, vt sunt fraudes, malitia, inimicitia, odia, menda-
 cia, aduersitates, calumniæ, inopia, persecutiones, incon-
 stantia, & aliæ tentationum variæ species, contra fidem,
 charitatem & spem militantes, prout etiam in Apostolis
 Ioanne, Petro & Iacobo videre licet, qui dum Christus sal-
 uator captiuus ex horto abduceretur, humanæ fragilitatis
 & inconstantia exemplum manifestum præbebant. Ver-
 bum igitur diuinum summo studio sectandum, & animis in-
 figendum, sacramentorumque sigillo confirmandum est,
 quo sub excessum nostrum ex hac vita fidem nostram obfi-
 gnemus, & contra vim portarum inferorum in vitam æter-
 nam ingrediamur. Hæc vero, quæ prolixè adeo à me di-
 cta sunt, ne tædio te afficiant, quin exemplo Tobia curam
 mun-

mundanarum opum abijcias, contentus necessario quotidiano victu, spem omnem in Deum reclines, pauperibus eleemosynas distribuas, reliquorum omnium soli Deo cura relicta. Verum quo dictorum enodationem & intelligentiam plenius assequaris, munus hocce tibi offero, per quod dicta plenius & vberius declarabuntur tibi, & consequaris stipendium & thesaurum largissimum, quo in nouitate vitæ & assiduitate studiorum ad proximi vtilitatem & Diuini nominis gloriam feliciter progrediaris. Hic vere talis est thesaurus, (si modo Deo adiutore eius cognitionem perceperis,) qui in nullis doctorum libris, nec vnguentariorum thecis obuius habetur, absconditus præ oculis vsurariorum, feneratorum & Euclionum, nec ab vlllo homine pretio vlllo comparari potest, hæc enim est aqua nostra & ignis, bonis in vtilitatem & emolumentum, malis vero in perniciem cedens manifestam, quodocunq; mali eo abusi fuerint ad voluptates mundanas, & desidiam, non enim homines mundani ea amplectuntur, quæ magno labore quæri solent. Si igitur humilis, patiens, modestus & placido animo fueris, thesaurum hunc veræ tranquillitatis & opulentia assqueris, & Deo ac proximo vtiliter inferuire poteris. Primum autem omnium Ægyptium illum sacerdotem & Regem Hermetem, eiusque tabulam Smaragdinam tibi proponã, ei comites F. Basilij, comitis Bernhardi, scripta Theophrasti, tincturam Physicorum adiungam, si modo prius, quæ tua de hoc sit sententia, apertius declaraueris.

A D O L P H V S.

En tandem desiderij mei colophon, quem tanta auditate & ardore hactenus expectaui: Ego vero sancte polliceor, me thesauro hoc ad vtilitatem & emolumentum proximi, & diuini nominis gloriam vsurum, & communiaturũ esse, actionesq; meas omnes eum in finem instituturum,

vt alijs ex vsu quod fiet, monstrem, nec animus meus spiritusve vitijs aut flagitijs contaminatus, alijs scandalo cedat, quantum quidem in hacce humanæ carnis fragilitate fieri vnquam poterit.

S E N I O R.

Hoc tibi persuasum habeas, etiam illum misericordiæ opera exercere commode posse, qui mediocri opum affluentia gaudet, & quidem beneficentia extenui opum riuo profecta Deo impensius probatur. Verum enimvero cum animi tui candorem satis perspexisse mihi videar, sub finem nostri huius colloquij mysterium hoc Parabolarum tegumento inuolutum tibi trado. Tuum vero erit, lectioni prædictorum, cæterorumque qui huius mysterij arcana referarunt, attentiori studio inuigilare, præsentem vero commentatiunculam in tui vsu à me conscriptam maximo opere obserues, cæterorum curam Deo Opt. Max. committe.

A D O L P H V S.

Equidem, venerande senex pro munere a deo pretioso & institutione quam hætenus ex te percepi, fideli, gratias habeo tibi immensas, & quantas animo concipere possum, sancte interim promittens, me diligenti lectione in succum sanguineum tradita conuersurum: Dei vero opem ardentibus votis implorabo, & vitæ actiones omnes ita instituam, vt virtutum exemplum alijs præbeam, omnia vero studia mea, & operam tuis commodis dico, consecro, offero.

S E N I O R.

Vtinam vero hæc omnia Dei benignitate adiuuante ita fiant: Quod si vero Deus Opt. Max. huius mysterij cognitionem tibi largitus fuerit, gratus esto, soli Deo laudem & gloriam referens, iuxta dictum illud Ieremiæ 9. Sapiens non gloriatur in sapientia sua, nec fortis fortitudine, nec diues diuitijs suis fidat: qui vero gloriatur, in hoc solo gloriatur, quod c. nouit, quod ego sum Dominus, misericors & iustus, inquit Dominus, Deus tuus, Amen.

Finis partis primæ.

PARS ALTERA
AVRELIAE OCCULTAE
PHILOSOPHORVM.



EN cœlum terramque humeris meis porto, eaque fundamentaliter & exacte obseruo, ac perscrutor, primum quidem prudens, post simplex existens, donec mercedem debitam reporto.

N
NB
NB
 Ars hæc & mysterium nulli remotis adeo repagulis & apertius traditur, quam in parabolis, quæ quidem exacte considerandæ, & trutinandæ sunt, præterquam quod etiam aliorum Philosophorum libri & commentationes sunt cognoscendæ. Ad hanc autem nostram artem penitus assequendam labor & studium exiguum, sumptus, & instrumenta pauca & exigua requiruntur, potest enim ars hæc vel horis 12. addisci, & octidui spatio in opus ac effectum deduci, cum proprium in se principium habeat, licet in alijs artibus vel sex septemve annorum curriculum requiratur, quo illæ effectum consequantur. Nonnulli tamen vel triginta, vel 40. annorum spacia magnis sumptibus confecerunt, finem huius mysterij nunquam assecuti: Artifices autem quibus finis cognitus & perspectus est, abscondere & tegere summa ope hoc artificium conantur, quod quidem mundi huius asseclæ mirari solent. Verum hæc omnia in Dei misericordia posita sunt, & ad opus hoc nostrum tantummodo Azoth & ignis requiritur, quod nihil aliud est, quam lauare, coquere, soluere, putrificare, coagulare & fixere: hæcque omnia à paupere pariter ac egeno, & diuite præstari possunt, nec etiam opus est, vt memoriæ conseruandæ causa literis hoc artificium tradatur, sed vel ipsa viua vocis traditione cognosci possunt. Ego vero planius & dilucidius hæc tibi declarare nequeo, ob vim quorundam iniustam, sed hoc saltem dico & præcipio: ad hoc artificium adhibe aquam lunarem, siue aquam argenti, in qua radij solis coniuncti sunt: Hæcque operatio vere mulieribus, vt veteres dicebant, conuenit, licet tot ac tanta volumina de ea à varijs conscripta habeantur, tantusque numerus plebeiorum iuxta ac magnatum magnis sumptibus & laboribus inuestigent, vano scilicet & frustraneo labore, natura enim repagulum intus obduxit. Post hæc parabola quædam cum tabula smaragdina Hermetis Philosophi præstan-

stantissimi, tibi ad maiorem & plenitorem cognitionem proponuntur.

VERBA HERMETIS IN
Pœmandro.

Hermetis Trismegisti Pœmander.

CUm aliquando cogitarem circa entia, & eleuata mente, valde sopitis mei corporis sensibus, veluti qui somno sunt grauari ex cibi satietate, vel corporis labore, visus sum videre quendam permagnum mensura indefinita, vocare meum nomen, & mihi dicere. Quid vis audire & inspicere? Et quid mente concipiens, discere & cognoscere? Aio ego, tu vero quis es? Ego equidem, inquit, sum Pœmander, Mens eius qui dominus est. Noui quid velis. Et tecum sum vbique. Dico ego, discere volo entia, & intelligere eorum naturam, & cognoscere Deum. Quomodo? Dixi, audire volo. Inquit, me rursus habe mente tua, quæcunque vis discere, ego te docebo. Cum hoc dixisset, muratus est forma. Et illico cuncta mihi aperta sunt momento.

TABVLA SMARAGDINA HERMETIS.

VERBA SECRETORVM HERMETIS.

Verum hoc est & ab omni mendaciorum inuolucro remotum, quodcunque inferius est, simile est eius, quod est superius, per hoc acquiruntur & perficiuntur mirabilia

operis, vnius rei. Quemadmodum etiam omnia ex vno sunt, per considerationem vnius. Ita omnia ex vno hoc facta sunt per coniunctionem. Pater eius sol est, mater luna,



ventus in vtero gestauit, nutrix eius est terra, mater omnis perfectionis. Potentia eius perfecta est. Si mutatur in terram, terram ab igne separato, subtile & tenue à grosso, & crasso, & quidem prudenter cum modestia & sapientia. In cœlum hoc à terra ascendit, & à cœlo rursus in terram descendit, & potentiam ac efficaciam superiorum ac inferiorum recipit. Hoc modo acquies gloriam totius mundi: Propulsabis igitur tenebras omnes & cæcitatem, hæc enim est fortitudo omni alij fortitudini & potentie palmam præripiens: omnia namque subtilia & crassa duraque penetrare ac subigere potest. Hoc modo mundus hic conditus est, & hinc coniunctiones eius mirabiles, & effectus mirandi, cum hæc via sit, per quam hæc mira efficiantur, & propter

pter hæc Hermetis Trismegisti nomine me appellarunt, cum habeam partes tres sapientiæ & Philosophiæ vniuersi mundi, consummatum est verbum meum, quod dixi de opere solari.

Hoc dictum palmarium est & omnibus alijs de hac materia prolaris palmam præripiens, totius artis mysteria in sese continens, prout etiam Theophrastus de hac arte sequentia tradidit. Summa dictorum in hoc consistit, recipelunam è firmamento, mutato eam superiori loco in aquam, & in terram conijcito, & tunc miraculum toto orbi admirandum perpetrabis. Si vero operationem ad finem perduxeris, & è principatu in terram cribratam conieceris, quæ in arte nostra terræ lutosæ comparatur, purga & libera ab ea illam, tunc enim longe splendidiore radio fulgebit. Si vero subtristem, & mutatam eam videris, in balneo venustatis eam lauato, & vestimento fulgoris permanentis, & terra cruda qua mirifice gaudet, orna, & in eo vestitu permaneat ad tempus vsque ipsi congruum, tunc enim perpetuo in eo permanet, quo etiam iuxta libitum ei vincula iniicere possis. Hoc est mysterium inuersæ Lunæ, quod si affectus fueris, omnia arcana artis tibi reuelabuntur.

SYMBOLVM F. BASILII
Valentini.

Lapis est minime omnium preciosus, ex quo ignis fugitiuus extrahitur, ex hoc autem igne lapis ipse est constructus, colore candido & rubro, nec ramen lapis est. In hoc lapide natura operatur & fontem limpidum producit qui patrem suum fixatum aquis suffocat, & absorbet, donec anima ei tandem reddatur, & mater fugitiua in regno similis fiat. Hic etiam lapis potentiam, ac vires magnas acquirit, solem ætate præcedit, matrem fugitiua per Vulcanum

præparata, & patre per spiritum progenito. Anima pariter, corpus ac spiritus in Duobus consistunt, ex quibus omnia: ex vno hæc, & vnum est, fixum & fugitiuum coniungens. Hæc duo sunt, & tria, & vnum, quod si horum cognitio te lateat, artis effectum frustrabere. Adamus in balneo sistitur, in quo Venus similem sibi reperit, hoc vero balneum ab antiquo illo Dracone, cum vires ac potentiam suam amiserat, præparatum fuit. Hoc vero nihil est aliud, inquit Philosophus, quam duplex Mercurius. In hoc nomen eius latet, quod omni diligentia, & assiduo labore quærendum.

Exitus acta probat.

SYMBOLVM NOVVM.



DEa sum, venustate & claritate generis insignis, nata ex æquore nostro proprio, terram vniuersam ambiente, & semper mobili, ex vberibus meis lac & sanguinem profun-

fundo, hæc duo coque, donec in aurum & argentum conuertantur: Omnibus autem alijs longe antecellens, possessori mercedem largam refero.



O Fundamentum præstantissimum, ex quo omnia in hisce terris prognata sunt, venenum licet sis primo aspectu, aquilæ fugitiuæ nomine ornatum ! Prima materia, & benedictionis diuinæ semen, candidum & rubrum, in cuius corpore siccitas & pluuiæ latent, quæ tamen impijs abscondita sunt, propter ornatum & vestem virginalem, in toto terrarum orbe dispersum. Parentes tui sunt sol & luna, in te operantur etiam aqua & vinum, aurum pariter & argentum in terra, vt lætetur homo mortalis. Hoc modo Deus ter Opt. Max. benedictionem suam & sapientiam cum imbre & solis radijs largitur, ad laudem nominis sui sempiternam. Verum, ô homo hic aduerte, quænam Deus per hoc tibi largiatur. Excrucia aquilam, donec lacrymas effun-

effundat, & Leo debilitetur, ac mortem lacrimando operat. Huius sanguis thesaurus est terrenus, cum lacrimis aquilæ coniunctus. Hæc vero animalia inuicem deglutire & occidere, mutuoque amore sese prosequi solent, & proprietatem ac naturam Salamandræ induunt. Si vero in igne illa sus permanserit, summam ægritudines hominum, bestiarum & metallorum absorbit.

Postquam vero antiqui illi Philosophi signum hoc cognouerunt, in hoc mysterio, centrum arboris mediæ in Paradiso terrestri summo studio indagarunt, per portas quinque litigiosas intrantes. Prima harum fuit, cognitio veræ materiæ, in hac enim prima & atrox pugna oritur, secunda est præparatio, iuxta quam materia præparanda est, vt fauillas aquilæ & leonis sanguinem inuenirent, sub hanc partem acris pugna exoritur, acquiritur enim aqua & sanguis, & corpus spirituale lucidum, tertia porta ignis est, ad maturitatem conducens, quarta multiplicatio & augmentatio, in hac pondus necessario requiritur, quinta & vltima porta est, proiectio in metallum. Gloriosus autem, prædiues & sublimis ille est, qui quartam portam occupat, vniuersalem enim medicinam omnium morborum acquirit, hæc est character ille magnus libri naturæ, ex quo Alphabetum totum oritur: Quinta vero metallis solum inseruit. Hoc mysterium ab ipsis mundi incunabulis & Adami creatione existens, omnium antiquissimum est, & scientia à Deo Opt. Max. naturæ per verbum inspiratum, potentia mirabilis, & ignis vitæ benedictus, carbunculus pellucidus, aurum rubrum, & benedictio huius vitæ diuina, verum propter hominum malitiam hoc naturæ mysterium paucis datur, licet toti mundo præ oculis quotidie versetur, & viuat, vt ex sequenti parabola patet,

MATERIA PRIMA.



DRaco ego sum, venenatus, vbique præfens, & minimo precio comparandus, illud super quo acquiesco, & quod supra me requiescit, in me ipso deprehendet qui rite inuestigauerit. Aqua mea & ignis destruunt, & componunt; ex corpore meo viridem & rubrum leonem extrahes; quod si me exacte non noueris, sensus quinque igne meo absumis. Venenum præcox è naribus meis egreditur, quod quam plurimis exitium attulit. Crassum itaque à subtili artificiose separato, nisi extrema paupertate gaudeas. Vi-res masculorum pariter ac fœminarum, quin & cœlorum ac terræ tibi largior. Animose vero & magnanimitè artis meæ mysteria tractanda sunt, si modo vipi ignis me superare desideras, in quo negotio quam plurimi & rei & la-

H

borum

borum iacturam fecere. Ouum ego sum naturæ sapientibus solis notum; qui pij & modesti microcosmum ex me progenerant, hominibus quidem à Deo Opt. Max. præparatum, licet paucissimis (quam plurimis etsi frustra desiderantibus) datum: vt pauperibus ex thesauro meo beneficiant, nec animum auro perituro addicant. Mercurij nomine à Philosophis dicor, maritus meus aurum est, (Philosophicum) Draco antiquus, vbique terrarum præsens sum, pater, materque, iuuenis ac senex, fortissimum & debile, mors & resectio, visibilis & inuisibilis, durum, molle, in terram descendens, & ad cœlum ascendens, summum & infimum, leuissimum & grauissimum, in me naturæ ordo sæpe inuertitur, in colore, numero, pondere, & mensura naturale lumen continens, obscurus & lucidus, ex cœlo & terra progrediens, notus & nihil omnino existens, colores omnes in me elucent, & metalla omnia per solis radios: Carbunculus solaris, terra nobilissima clarificata, per quam cuprum, ferrum, stannum, plumbumve in aurum transmutare poteris.

OPERATIO PHILOSOPHICI MYSTERII

Senex ego debilis & infirmus, cognomine Draco, caueæ inclusus eam ob causam sum, vt regia corona redimat, & familiam meam diuitijs locupletem, seruus fugitiuus nunc primum existens, post hæc vero omnes regni thesauros possidebimus, gladius igneus magnis tormentis me afficit, mors autem carnem & ossa mea infringit, donec transeant septimanae sex, vtinam vero inimicos superare queam! Anima mea & spiritus meus me derelinquunt, venenum atrox, coruo nigro assimulor, hæc enim malitiæ merces, in
pul-



pulvere & terra cubo , vtinam vero ex tribus vnum fieret , ne vero ô anima & spiritus me derelinquas , vt diei lucem rursus intuear , & ex me heros ille pacis , quem vniversus orbis aspiciat , exoriatur : In corpore meo sulphur , sal & mercurius reperiuntur , hæc vero rite sublimentur , distillantur , separentur , putrificentur , coagulentur , fixentur , coquantur & lauentur , vt feces ac sordes detergantur .

FIGVRA SECVNDA.

Quod si vero colores quamplures abigantur , & heros ille rubeus appareat , hic enim est filius ille præpotens , minimus , parcm in totius mundi ambitu non habens , & vi-

H 2 ribus

ribus, ac efficacia solis lunæque præditus, omnium victor,
aurum rubrum, cuius notitiam magnopere comparabis, si



tamen per ignem septies purgatum fuerit, posthæc in tur-
bam hominum & plebem producas, quæ honori, & gloriæ
ipsius inuidet, sed attende sequentia.

FIGVRA TERTIA.

Viri decem Heroem hunc ad terram prosterntes, vita
exuunt, quod tamen flagitium illis remittit & condo-
nat, cum post hæc in vitam hanc rediuuius, sempiterna vita
gaudet, per hunc maior pars morte eius reuiuiscunt, qui
substantiæ eius communicant, vrbs tamen vndique obsi-
dione cingitur, quo & hi patiantur & moriantur, vel primo
mox intuitu perdit. Tenebris autem Lunæ & Solis ingru-
entibus pastor hic occumbit, non tamen separari & diuidi
potest, cum terræ primæ similis non sit, hostes autem eius
morte pariter cum eo occumbent, si modo gloriæ & hono-
ris participes fieri velint. Mera autem ex gratia Iris appa-
ret,

ret, cum Rex his faueat, & tunc laudes & encomia huius decantanda.



FIGVRA QVARTA.

IAm demum & inimici Regis torquentur, & malitiam suam agnoscentes occumbunt omnes pariter, quin & secundo rei declarantur, & vrbs eorum ab hostibus & igni obfidetur, prius quidem spiritualiter, nunc vero & corporaliter, parique exitio cum priore omnes succumbunt.

Verum heros hic tanquam Rex verus auxilium illis fert & assistit, cum iam vnum tantum ij sint, & in nihilum fere redacti, propter Eclipsin illam solis, ex qua corui nigerimi prouolantes carnem eorum omnem absument, & anima ac spiritu illæsis, iuxta putridam carnem eorum versantur. Rex vero à putredine immundus est, & ob id anima, spiritus & corpus coniunguntur, vt ipse in ijs, ijque vicissim in ipso habitent. Fixum autem alterum illud fixum pariter reddit, vt ex eo proles noua candida nascatur. Verum vltèrius animaduerte: Colores iridos ostendunt eos veste can-



didam nuptiali dignos esse : Quod si amicabiliter illum complexi fuerint, vestitum purpureum & aureum consequentur, & sabbatho requiescent, in quo creatori suo honorem debitum exhibebunt. Iam quidem Luna obediens prodit, die solis illucescente, & amica illa dilecta (Argentum) niueo vestitu amicta prodit. Tu vero reliqua lætus percipe.

FIGVRA QVINTA.

IAm demum è sepulchro rediuius prodeo, & fratribus meis appareo, sponso meo me amplectente, quo etiam fratrem meum debilem adhuc & imbecillum tingēdo, constantem & spiritualem candidum que reddam, quin & vim & potentiam Regis reuelem, qui victor me propediem subsequuturus, Soli nos similes reddet, quoniam in me resurrexit, assimilor autem mari crystallino fixo, & malitiam, imperfectionemq; fratrum meorū amare deploro, per quā à me recedentes, lapidibus & pulueri terreno coniuncti, vim omnem amittunt, terrenis inhiantes, & cœlestia negli-



gligentes, sine remissione enim vlla lachrymas profundo,
 ex quibus benedictio promanat, nec vanitati & impuden-
 tiæ studium addico, prout soror mea Venus, hisce intenta,
 semper lasciuir. Verum & illa vestitum meū consequi pote-
 rit, quem quinque distribuere debebam, si modo viuere me-
 cum sustinent. Frater autem meus, sceleratus ille Mars,
 fraudulentus, posthabitis lachrymis & lamentationibus
 meis quamplurimos prosternit, & perimit innocentes, &
 ira radiante inflammatus, sapientiam, modestiam & pacem
 omnino aspernatur. Idem animus etiam fratri Saturno est,
 qui melancholica passione obrutus, auaritia, plurimo-
 rum salutem obuerrit, hinc facies eius subtristis. Iupiter ve-
 ro clemens, coronæ regię adpropinquat, seuerus, subtimi-
 dus, & sæpiuscule inconstantie passionibus subiacens: pro-
 ut maxima pars hominum iisdem subiacet, licet omnes tan-
 dem in vnum congregandi & coniungendi sint homines.
 Mercurius vero frater meus iunior, senex quamuis, pru-
 dentia, concordie vinculum pariter abrumpit, lachrymat,
 ridetque affatim, cum salamandræ similem sese esse videt,
 mercenarius est, & mirabilium operum patrator: similis ei
 qui

qui per vniuersum terrarum orbem discurrens, bonorum iuxta ac malorum consortio gaudet, & oritur. Si vero constantiam meam imitarentur, & Rex ille cœlestis summa nobis bona largiretur. Sol autem pluuijs delectatur, & post pluuias opes magnas & diuitias largitur, quemadmodum paterfamilias vxorem ardenti amore prosequitur, rixarum & contentionum discordia penitus inter eos sublata. Ita etiam argentum tingam, Rege meo in aurum figente.

FIGVRA SEXTA.



HOstes inimicosque meos vniuersos insigni nunc claritate fulgens, deuici. Ex vno multi, & ex multis vnum, profapia celebri oriundus, è minimo ad summum adscendo: vis omnium infima in orbe terrarum cum suprema vnitur. Vnum ego sum, & multi in me, & per decem multiplicatus, tot enim vicibus amicos illos meos sex emendo, si modo in fusione promptum obsequium præstiterint, exemplo amicæ meæ Lunæ. Sex mihi sunt vestes nuptiales, & coronæ

ronæ aureæ sex, quarum singulæ singulis dabuntur, vt Regibus similes, mecum regnent, aliis qui me, amoremque meum aspernati fuerant, dominantes. Per ignem enim reuelabuntur, quod è terra ascendere satagunt, si nimirum lati candidi sanguinei, purpureique fuerint, diuitias magnas largientes. Quemadmodum è Deo omnia, summa & infima, principium & finis. Ipse enim est A & Θ . vbiq; præsens. Philosophi nomine Azoth me ornarunt, Latinis A & Z. dictus, Græcis α & ω. Hebræis א. Aleph &

Thau, quæ nomina summam reddunt A... $\left\{ \begin{matrix} Z \\ \alpha \\ \eta \end{matrix} \right\}$ In ignem

coniectus tanquam Ira, aquam opprimo, sex vero metalla reliqua summa laude nomen meum celebrant, quoniam in regnum solis ea introduco, hinc vniuersale vocitant, cum in purissimum aurum ea transmuto, quod quidem aurum ex aqua, igne, aere, terra, venenoue damnum nullum vnquam sentiet. Quin & morbis hominum remedium præbeo, thesaurus vere regius sum, piis solum donatus. Si vero Deus ter Opt. Max. huius thesauri cognitionem tibi donauerit, modesto animo tecum viue, ne improborum consortio gaudens, periculum maximum & afflictionem incurras. Solent enim quam plurimi sub specioso amici titulo, saluti ac incolumitati tuæ insidias struere: Reuelatio autem soli Deo debetur.

OPVS VNIVERSVM PHILOSOPHORVM.

Senex ille primum est principium per hermeticam artem reuelatus, sulphur est, Sal, Mercurius, inferius sicut superius, astrum Solis, coloribus abundans, ignis, aer, aqua & terra ex profapia Dianæ & Apollinis prognatus, virilis ignem & aerem, foemineus terram & aquam de-

I notat,

notat, pondere grauis & leuis, stabilis, constans, & fugitiuus: Exue hunc veste terrena, & nudum præpara, balneo calido include, calorem vaporum diebus noctibusq; coquito,



donec stella septemplex appareat, per sphaeram circumcurfitando, & in aqua suffocetur. Coruus niger prima auis, circa cadauera circumuolitat, donec columba alba progreditur.

tur, eam subsequente aue rubra. Spiritualiter igitur coruum primum extingue, vt colores omnes emergant, monoceros vero requiescit, Luna corporali existente, viam Regi præparat, argentum candidum emergit. Rex hoc subsequitur, ruber, solitarius adhuc, sed purissimus, quod si eundem cum matre ipsius per omnia regna deduxeris, præteritum eius in decuplum multiplicabitur, & fratribus suis diuitias commodaque infinita præstabit.

Felix, terque quaterque beatus qui huius artis plenariam cognitionem est assecutus.

DECLARATIO ET EX- PLICATIO ADOLPHI.

POSTquam Ego Adolphus ex consuetudine pariter, & animi cupiditate iter Romam versus institueram, vt artium secreta penitus indagare possem, nocte quadam diuerforio exclusus, virium imbecillitate coactus, & somno aggrauatus, cum per totam diem tempestatum imbribus debilitatus maxime fuisset, specum quãdam subterraneam ingressus sum, quarum quidem Romæ magnus numerus, oratione itaque ad Deum Opt. Max. fusa, auxilium eius implorans, ieiunus & somnolentus obdormii. Ob loci vero incommoditatem media nocte expergefactus, specus, diuerforij mei, incommoda considerans, mirabilia opera DEI Opt. Max. animo voluens, afflictionesque ac ærumnas humanas, attentius examinans, tandem etiam secreta illa & opus Philosophicum exactior lance trutinans, strepitum quendam in specu mihi exaudire videbar, qui tamen eodem fere momento conticescebat, hinc magnus metus animum meum inuasit, & anxius hærebam, num dæmonum præstigiæ, aut hominum latrunculorum insidiæ essent, DEI
I 2 itaque

itaque opem implorans, tandem exiguam lucem procul à me in abditis specus video, quæ sensim aucta propius ad me accedebat, Ego vero viribus destitutus hæsitans tandem vi-



debam virum quendam pellucidum, tanquam aereum, corona regia, stellis vndique exornata, redimitum, dum vero attentius inspicio, omnia interiora eius conspiciebam, cerebrum quidem tanquam aquam crySTALLINAM, semper sese mouentem instar nubis, & cor tanquam carbunculum, rubens, præter hæc videbam alia eius intestina, pulmonem, fecur, ventriculum & vesicam, quæ omnia pura & pellucida erant instar vitri, nec tamen fel, lien cæteraue intestina apparebant, eius vero claritatem ac puritatem verbis declarare nō possum, & tanquã in somnio pressus tandē exclamo, Libera me, ô Domine Deus, ab omni malo. Vir autem ille ad me accedens inquit, Adolphe, sequere me, monstra-
bo tibi

bo tibi ea, quæ præparata tibi sunt, ut è tenebris in lucem transire possis. Ego, inquam, quisnam sis, ignoro, spiritus Domini cæli ac terrarum me regat: ille vero, sequere me, ait, cum enim & me & dominum meum diligas, reciproco amore à me redamaris, tu vero æternum illum Dominum summa laude celebrabis. Hisce dictis, tandem in interiora specus ingressus, omnia illa attentius considerans, video in corona illius stellam præfulgidâ rubram, cuius radij totum corpus meum, & præcordia penetrabant, vestis eius erat lineæ candida, floribus versicoloribus aspersa, colore viridi interius præfulgente, præter hæc ex corde eius ad cerebrum & vice versa vapor quidam semper mobilis ascendebat. Tandem vero manu parietem fragore magno concutit, & oculis meis sese subducit, hinc rursus magnæ tenebræ, & sollicitudo metusque animum meum occupant, ex oriente vero sole, accenso cereo interiora specus perscrutando parietem concussum video, arcam plumbeam reperi, quam cum refferassem, librum video in cuius foliis fagineis figura parabolica de veteri Adamo annotata erat, ego vero diurna nocturna que versabam hanc manu, donec tandem per unicam vocem arcanum illud mihi reuelaretur, ex quo mirabilia multa penitus cognoui. In Meridiem perspiciebam, in qua calidi illi Leones, & in loca Polis subdita in Septentrione, in quibus vrsi vagantur, summa vero laude nomen Domini decantabam, & cognoscebam mysterium obsignati illius libri naturæ, quod arcanum etiam prout antea additum fuerat hoc loco apponam.

S Y M B O L V M
S A T V R N I.

ADamus senectute confectus, cum coniuge legem præuaricatus, maledictionis sententiam in sese deriuarat,

metu igitur ambo consternati, fugam capessentes, in veprem se abdidit, & pudore ac verecundia ob nuditatem corporum moti, extremam quoque mortem obijissent, nisi Dei Opt. Max. creatoris misericordia, in pristinum per-




fectionis statum futurum reducti fuissent, liberos enim imperfectos generabant, antequam renouaretur. Verum cum horti illius possessione semetipsos indignos reddidissent, & tot alias orbi reuelandi essent, radio ignito ex horto illo deliciarum eieci fuerunt. Quamuis vero hortus ille delitiis & amoenitate abundaret, Adamus nihilominus cum coniuge multis parasangis illum excedebat. Cum vero ex eo eijcerentur, Eua muliebri inconstantia mota prior abscedebat, Adamo, viro constante & magnanimo cedere nolente, donec tandem post plagas sex acceptas, cederet loco, Eua vero è singulis plagis dimanantem sanguinem eius recipiebat, & cu-


& custodiebat, eumque pari vi magnetica è horto extrahebat, defessus namque vires pristinas recuperare nequibat, donec ambo in eodem balneo loti, vñctique ob mutuam amorè simul mortem oppeterent, rursus tamen in vnum resurgerent, & post mortem filium supremæ essentiæ progenerarent. Filius vero ille pariter mortem oppetens, reuixit, vt omnia penetraret, & multiplicandus venit per decem, fratres enim imperfecti & debiles, eum oppugnant, nisi enim hoc fieret, labor omnis inanis & frustraneus esset: post-hæc vero omnes pariter cū eo morte occūbunt, resurgentes tandem & regnantes vna cum eo, fulgentes & radiantes tanquam Sol terrarum. Voluntas enim eorum Regi obediens, hinc diuitias sempiternas adepti, decies, centies, & millies numerabantur. Soli Deo, à quo sapientia omnis, honor & gloria.


Amen in Mercurio qui pedibus licet carens decurrit aqua, manus non tingens, & metallice vniuersaliter operatur.

F I N I S.









18.71

